Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Odarum, ſiue Carminum ſacrorum libri IX.

Quinq; priores Dauidicorum.
Sextus Biblicorum.
Reliqui tres recentium.

AVTORE IOHANNE
Saſceride Vuermenhuſano.

Eiuſdem Carmen Seculare pro Eccleſia.

BASILEAE, PER IO-
annem Oporinum.

Ex libris Conradi Weis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

SERENISS. AC IL
LVSTRISS. PRINCIPI AC
Domino, Domino CHRISTIANO Da-
niæ, Noruuegiæ, Sclauorum & Gottorum
Regi: Duci in Schleſuuick, Holſatia, Stor-
marn & Ditmaria, Comiti in Oldenburgo
& Delmenhorſt, Domino ſuo
clementiſsimo.

PRædēſis tenebris, Rex clementiſsime, quondam
Fœdarat populū reproba turba ſacrum:
Erroresq́; graues, idolaq́; fœda per oram,
Lux ubi doctrinæ fulſerat antè Dei,
Munierant reges, Ammonq́;, paterq́; Menaſſes,
Et ſæuæ coniux Ieſabelis Achab.
Lex contempta Dei, *libri ſine honore iacebant,*
Fatidicum regnum cœperat omne nefas.
Cantabat ſecura cohors tamen, atq; prophanis
Miſcebat ſeſe ſponte ſuapte ſacris.
At quorum robuſta Dei *cor dextera tangens,*
Imbuerat uerbi cognitione ſui:
Flebant, ac triſti gemitu, precibusq́; benignas
Mulcebant aures illius aſsiduis.
Hic motus Ioſiam Deus *alto miſit ab axe,*
Flagrantem pectus legis amore ſacræ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Perq́; illum tetris purgauit ſordibus omne,
Veraq́; ornauit relligione ſolum.
Demiſere caput reprobi, famuliq́; Satanæ
Preſſerunt rubeo labra pudore ſua.
At uiſo pia gens Domini lætata fauore,
Mirificaq́; manu, prompſit ab ore melos.
Laudauitq́; Deum, cum puri lumine uerbi
Fulſerat, & tali rege bearat eam.
Qui regni recludat iter cœleſtis ad aulam,
Præcedatq́; ſimul per benefacta ſuos.
Rege nihil terris melius doctoq́;, pioq́;:
Nil illo utilius munus ab axe uenit.
Eius in imperio cœleſtia ſacra uigeſcunt,
Eius in imperio pace fouetur homo.
Ille dato gladio, diuinæ legis utramq́;
Defendit tabulam, nec uiolare ſinit.
Ille ſuum Chriſto trepidus conſeruat honorem
Ille pios tutos à grege ſonte facit.
Nec fert, ut praui uotis impunè potiti,
Innocuos auſint lædere quoq́; modo.
Quin inopes nutrit ſanctos, impletq́; bonorum:
Ieſaias uates ut canit ore ſacro.
In ſumma, iudex uiduis, miſeriſq́; patronus,
Vindex pupillis pauperibuſq́; nitet.
Hinc Deus ipſum etiam uero defendit amore,
Ac ſua depromit munera largus ei.
Si moueant hoſtes illi fera bella, fugati

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Terga dabunt, Domini cunctipotente manu.
Dona Dei, robur ſunt, & ſucceſſus in armis:
Quosq; amat, & fidos inuenit, illa dabit.
Sed nunc rara auis eſt, Princeps, qui pectore toto
Anguſtam Domini quærat inire uiam.
Rara auis, heu fateor, nimis eſt: quo rarior autē,
Hoc decet exemplum carius eſſe tuum.
Tu ſiquidem prudenter agis, clariſsime terræ
Rex Danicæ, regni gloria magna tui.
Qui Dominum pauitas, ac puri dogmata uerbi
Excolis, & Chriſto ſpemq; fidemq; locas.
Quiq; alter Ioſias, falſis à cultibus omnem
Expurgas terram, quæ tua ſceptra timet.
Reſtituisq; tuis antiquam relligionem,
Non placitis hominum, at numinis ore ſatam.
Caraq; patroni celebrari nomina curas,
Et merita decoras laude peritus eum.
Vnde tibi cum ſint, Rex illuſtriſsime, cordi
Carmina, quæ celebrant unius acta Dei:
Te mihi firmato patronum corde, meæq;
Poſtulo Melpomenæ: ſim tibi cede cliens.
Atq; alacri facilis precor accipe carmina uultu,
Quæ dedit imberbis noſtra iuuenta tibi.
En Dominum cœlo, terraq;, mariq; potentem,
Chriſtum noſtra recens hac uice Muſa canit.
Primitiæ debentur ei, quo poſſumus uno
Supremum ſtudij culmen adire duce.

Fœlix abſq; Deo fit nemo, ſiue pauentes
Defendens populos ardua bella gerit:
Siue quis aggreditur uictorum dicere geſta,
Carminaq; in laudem condere ſacra ducum.
Pòſt etiam fortaßis, erit ſi tanta facultas
Ingenij, quod adhuc abſq; nitore iacet:
Cunctipotensq; ſimul uitam conceſſerit autor,
Heroo ingrediar carmine geſta tua.
Nunc humiles mecum facilis decurre per Odas,
Charaq; ſublimis nomina pange Dei.
Atq; illum cane mente pia, qui commodus addit
Succeſſum dextræ, & robora magna tuæ.
Qui meritam Domino laudem canit, illius æuum
Non, niſi præbuerit commoda multa, cadet.
Sed nil ſiue Deo, ſeu fratribus utile preßis,
Totius efficiet tempore curriculi, (tur,
Quiſquis laude Deũ uehere, & celebrare graua-
Viribus aſſcribens dona ſuperna ſuis.
Ergo refert lapſum ſublimi ex æthere quondam
Fama creatori plaſma rebelle ſuo. (ſat
Dum patre progenitũ Chriſtũ omnipotẽte recu
Sublato faſtu præpoſuiſſe ſibi.
Stirps etiam inuiſam ſtruxit Cameſenua turrim,
Inuito quærens axe ſedere Deo.
Sed ſubitò magno accepto deſiſtere damno
Cogitur, ignotus dum cadit ore ſonus.
Et cum Senacharib tumida quũ Balthaſar auſus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Lingua diuinum lædere nomen erat:
Vtriſq; in foribus metuenda ruina cubabat,
Moxq́; Dei tumidos ultio iuſta tulit.
Ecce Philiſtino prodibat ab agmine quondam
Ingenti Golead corpore terribilis,
Nec Domino laudem cantabat: at eius honorem
Carpebat læuo reprobus ore gygas.
Oppoſuit ſe flauus ei puer, & cui prima
Vixdum barba ſemel bis'ue reſecta fuit:
Quiq́; gregem ſolitus fuit obſeruare paternum,
Diſsitus horrendo Martis ab ære procul.
Non arma eius erãt fulgentia cõmoda membris,
Cui citharæ atq; pedi promptior uſus erat.
Negligit ergo feri tegumenta minacia Martis,
Seq́; putat niſum certius ire Deo.
Hac armatura petit imperterritus hoſtem,
Illiusq́; refert ad ſacra caſtra caput.
Diffugiunt ſubitò confuſa mente prophani,
Sanctorum promit iubila cœtus ouans.
At quæ ſucceſſus age, uirtutisq́; prophetæ
Tantæ cauſa fuit? cur Deus armat eum?
Nempe quòd aſsiduas in pectore uoluerat odas,
Et ſacra condiderat carmina, gratus ei.
Vnde urſi rupit quoq;, & ora tremenda leonis,
Dum prope commiſſas carmina nectit oues.
Pòſt ubi grãdis erat, promiſſaq́; ſceptra potitus,
Perdomuit populos iuſta per arma feros.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Sic etiamſi cœtus inops fert mille labores
Chriſtigenûm, duraq́; ingemit uſq; cruce:
Non unquam tamen à toto delebitur orbe,
Dum laudem tribuit mente labriſq́; Deo.
Immò ſuperba leui uaneſcent ocyus umbra
Concilia: at Chriſti turba canora manet.
Tu quoq; ſanctorum Princeps laudate, choręas,
Laudatoſq́; pio dilige corde modos.
Et pariter cane, quæ cecinit, cœleſtia, Dauid,
Carmina, iam lyricis mollificata metris.
Sunt cantata quidem hæc maioribus antè poetis:
Sed non & numero, quo decet iſta cani.
Pſalle quoq; eximij Mòſis, uatumq́; ſequentum
Iam primam ad noſtram cantica dicta lyram.
Noſtra quoq; (infœlix opus) infœlice pharetra
Spicula ſumpta caue ſpreueris ore graui.
Parua quidem, fateor, ſunt, & minus apta peritis
Auribus: apta tamen ſint pietate tibi.
Parua precor ſapias: paruos amat autor Olympi,
Sublimiq́; humiles collocat axe uolens.
Nos tenui loculo depromere magna nequimus
Munera: quo tamen & uilia grata ſient,
Accipe corda tibi mea dedita: cordé ne quiſquam
Grandius obtulerit munus amabo ſuo?
Cede recens mea Muſa tuo ſit nomine tuta,
Nec uultus hominum te comitante tremat:
Nec ponat confuſa lyram, ceſſetq́; benignum

In cœtu Dominum tollere laude ſacro.
Quin animata tuo ſit nomine: teq́; fauere,
Grandius, aduertens, aggrediatur opus.
Suadeat hoc natura tuis heroica ſenſis,
Quæ decet in pura relligione ducem,
Succeſſusq́; ſimul pia, uirtutisq́; cupido,
Quæ cupidis laudis dat Deus ultrò ſuæ,
Suadeat, ut noſtræ patronusq́; eſſe Thaliæ,
Et ſuſtentator, ſubſidiumq́; uelis.
Meq́; tuum facili paruum amplectare clientem
Pectore: ſic numen te quoq; mite iuuet.

Sereniſſ. Maieſt. ueſtræ
addictiſsimus
Ioh. Saſcerides.

CARMINVM DAVIDICORVM LIber primus.

ODE I.

Beatus uir, qui non abijt, &c.

FOELIX, & placido
gratus is eſt Deo,
Quiſquis cōſilio non ſtat
ab impio,
Nec praua ſcelerum qui
manet in uia,
Riſorumq́ ferox conſidet in throno.
Sed quem ſancta boni lex recreat Dei,
Eiusq́ eximium pectus amabili
Noctes atq; dies occupat ocio,
Includitq́ pium iugiterætheri.
Non hunc abſimilem dixeris arbori,
Quæ plantata ſecus uitrea flumina,
Fructum, diues aquæ, tempore fert ſuo,
E` qua defluit at ne folium quidem.
Sic uertetur & huic, ſi quid aget, bene.
Sed non concilio ſic erit impio:
Quod non immeritò comparo pulueri
Sicco, quem profugum perſequitur Notus.
Namq; in iudicio ſtare ferox Dei

Haud

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Haud quibit reprobus, cordis ubi intimæ
Pandentur latebræ: ſed neq; tuto erit
Iuſtorum implicitus concilio reus.
Sanctorum ſiquidem nouit & approbat
Iudex ipſe uiam, quando ea conſonet
Verbo tota ſuo: ſed ſine numine
Calcata, interitu digna uidebitur.

ODE II.

Quare fremuerunt, &c.

CVr fremunt gentes, populiq́; uana
Cogitant? regum procerumq́; demens
Cur ſtat aduerſus Dominum, illiusq́;
Turba miniſtros?
Quæſo rumpamus laqueos eorum,
Et iugum durum nimis. Altus illos
Nempe ſubſannat pater, & furente
Damnat in ira.
Ad ſuum uerò loquitur benignus
Filium: Mi gnate, ego te Sionis
Incolis fauſtis, populoq́; regem
Vngo fideli.
O' parens ergo, tua quàm libenter
Iuſſa narrabo, quia dicis ad me:
Charus es natus meus, hacce luce
Progenui te.
Poſce iam, proles, age me uiciſſim

Quid-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Quidlibet, non te tua uota ſallent:
Ecce do gentes tibi, quas remotus
Educat orbis.
Has reges (ni ſe tibi ſponte dedant)
Ferreo ſceptro, luteumq́ tanquam
Vaſculum curta figuli, refringes
Arte paratum.
Iamq́ uos reges, proceresq́ terræ
Eſte uictori, meliore mente,
Subditi regi, tremuloq́ ſerui
Corde pauete.
Eius & natum quaſi cingite ulnis,
A' polo ne uos meritam per iram
Arceat, uobisq́, ſimulq́ ueſtris
Iungite terris.
Mox enim ardebit uelut ignis, eius
Ira: tum fœlix erit ille demum,
Qui, memor, nato ſibi, mente tota
Nititur ipſo.

ODE III.

Domine quid multiplicati, &c.

Quàm multi mihi (ſcis parens) inulto
Bella graues meditantur hoſtes?
Quàm multi mihi dictitant? In ipſo
Nulla ſalus tibi conditore eſt.
Tu uerò es clypeus mihi, decusq́,

Tuq́

Tuq́ meum caput eleuabis.
Clamaui ad Dominum meapta uoce,
Et placidus mea uota ſumſit.
Dormiui modò, iam excitatus adſum:
Nam Dominus mea uota cepit.
Nec mille hinc populis timebo ſeptus:
Surge Deus modò, meq́ ſerua.
Omnes quippe meos pudenter hoſtes
Percutis, & laceras malignos.
Tu ſaluas Deus unus, & fidelem
Gnara iuuat tua dextra cœtum.

ODE IIII.

Cum inuocarem, &c.

TV me iuſtificans Deus
Exaudi, quoties te precor. anxio
Fulges una mihi ſalus,
Clemens accipias quæſo preces meas.
Quàm uero ô proceres diu
Vobis ludibrio gloria erit Dei?
Nunquid ſemper amabitis
Falſas interitum quærere per uias?
Nam perdit Deus impios:
Quotquot uana magis ſomnia, quàm Dei
Mirantur ſapientiam.
Sed ſanctos amat, & conſociat ſibi,
Occultoq́ iuuat modo.

Dum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Dum uiſus barathro mergere eos fuit,
Vnà me quoq; ſuſcipit,
Ipſum quando malis obrutus inuoco:
Vos hinc ergo Dei timor
Soluat flagitijs, diſciteq; intimæ
Mentis iudicio, reos
Vos eſſe: hinc tumidos ponite ſpiritus.
Et mactate pio lubens
Gratas iuſticiæ pectore uictimas.
Veſtro fidite ſcilicet
Seruatore Deo: reſpicit is fidem.
Quærunt innumeri palàm:
Quis nobis miſeris adijciet bona?
Sed tu ſumme parens, tuam
Lucentem faciem nos ſuper eleua.
Certè lætitiam meo
Adfudiſti animo, cum dare te manu
Tam larga uideam tuis
Frumentum famulis, uinaq; dulcia.
Hinc tranquilla mihi quies,
Ac ceu ſomnus adeſt: quandoquidem meo
Tu clemens animo pater
Spem certam placido numine fuderis.

ODE V.

Verba mea, &c.

INtende uerbis, atq; clamori meo,

Rexq;

Rexq́ Deusq́ meus: te namq́ ſupplex inuoco.
Intende uoci manè conditor meæ:
Manè oculis ſiquidem inſomnis aßiſto tuis.
Peccata certè iuſtus haud amas Deus,
Nemoq́ iunctus erit tuo malignus cœtui,
Saluaq́ praui ſiſtere haud quibunt ſide
Ante tuam faciem. quum criminoſos oderis,
Perdasq́ cunctos qui ſerunt mendacia,
Cumq́ cruore pio, doloq́ pollutos uiros
Abomineris. Ego ſed intrem Eccleſiam,
Te miſerante tuam, & pectus incuruē meum
Ad Chriſtum aſylum conſtitutum ſontibus.
Teq́ timēs mouear, quos tu ſacraſti, cultibus.
Statuta clemens me pater duc in tua,
Daq́ placente tibi delecter unicè uia.
Quando nocentes ſunt mihi hoſtes undiq́,
Qui nihil ore boni, nil corde ſinceri ferant.
Quorum, ut ſepulchrum guttur abſorbet, patēs:
Quiq́ ſuis labijs quærunt potentum gratiam.
Et hos, & horum deijce unà ſomnia,
Ob nimiamq́ malos expelle contumaciam.
Lætentur autem, quotquot in te ſpem locant:
Carmina grata canāt, ipſosq́ ſemper protegas:
In teq́ ouent da gaudio ſummo Deus,
Gloria cara quibus, gratumq́ nomē eſt tuum.
Tu cuncta iuſtis largiter dabis bona;

Ceu

Ceu clypeoq́, tuo fauore munies eos.

ODE VI.

Domine ne in furore, &c.

T*Andem iuſte reum ne tua me Deus*
Ardens ira premat, neu miſerabilem
Fato perde ſeuerus
Digno commeritis meis.
Verùm ô fide tuæ motus ades pater
Languenti ſoboli, meq́ pius tuo
Sana quæſo fauore:
Nam læſa oſſa pauent mea.
Durè quaſſa pauet mens etiam mea,
Et laturus opem tu mihi non uenis?
Ohe ſurge parens, ac
Tantis eripe me malis.
Serua me, placidum ſic mihi te ſciam.
Aſt in morte tui nunquis erit memor?
Num quis merſus Auerno,
Panget ſuaue tibi melos?
Heu heu me gemitus conficiunt mei:
Fœcundisq́ meum dum lachrymis thorum
Longas irrigo noctes,
Flendo mox liquefecero.
Te damnante oculus computruit meus,
Et præ tot meritò tabuit hoſtibus.
Quin abſcedite praui,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Nam flentem Deus audijt.
Votis omnipotens annuit his pius,
Hinc aduerſa ferox erubeat manus,
Turbeturq́ repentè,
Et fruſtrata premat gradum.

ODE VII.

Domine Deus meus, in te ſpero, &c.

IN te ſpero Deus meus,
Saluum me fac, & exime
Perſequentibus omnibus:
Ne uitam rapiant meam,
Pœni more leonis.
Si tam turpe Deus meus
Fecit dextra nefas mea,
Si quid quando bonis mali,
Si quid lege carens reis
Inflixiſſe uidebor:
Cedo cingar ab hoſtibus,
Et comprendar, & inſuper
Fatali tumuler domo,
Noſtra & gloria ceu leueis
Euaneſcat in auras.
At tu ſurge Pater, ſuiq́
Iram iudicis horreant
Hoſtes, atq́ ego fac mihi
Ad iuſſu impoſitum tuo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Munus, denuò ſcandam.
Sic te Chriſtiadum chorus
Cingat, quæſo fauens ijs
Altum rurſus adi thronum.
Iuſto iudicio Deus
Totum iudicat orbem.
Atq; hæc noſtra Deo placet
Chriſti ſanguine puritas.
At prauos citò deſtruet,
Iuſtos diriget, intuens
Renes, imaq; corda.
Iuſto fido Deo, & uiris
Innocentibus obuio:
Sed peruerſa ſequentibus,
Iuſto iudice, & omnibus
Iraſcente malignis.
Væ ſi quis neq; pœnitet,
Nec uitam renouat ſuam:
En uibrat gladium Deus,
Tenſoq; inijcit arcui
Tinctas morte ſagittas.
Illis perdere deſtinat
Sui carnifices gregis.
Vana hi parturiunt ſacra,
Clades concipiunt graues,
Et mendacia gignunt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

In lacum & foueam cadent,
Quæ fodêre: labor ſibi,
Prauitasq́ oberit ſua.
Iuſtum laudo Deum, & cano
Nomen illius altum.

ODE VIII.

Domine Dominus noſter, &c.

O Deus, in toto quantū tibi nomē extat or (be?
Tranſcendis axem gloria ſupremum.
Lactentū linguæ uim ſufficis, impijs tremendam,
Quo uictor hoſtem ſupprimas rebellem.
Si uideo cœlum, cœlum tua finxit arte dextra,
Lunamq́, nec non aſtra tu creaſti.
Cur hominē recolens uanū obſecro uiſitas, datoq́
Chriſto prope æquas angelis beatis?
Illius capiti placet addere gloriæ coronam,
Cunctisq́ regem præficis creatis.
Cunctaq́ ſubdis ei: mortē, ſcelus, inferos, ſatanā:
Quin & bidentes, & boues, & omnes
Syluestres pecudes, uolucres ſimul, & perinde pi
Quicunq́ glaucis luſitāt ſub undis. (ſces,
O Deus, ô noſter dux inclyte, quàm tibi ſtupēdū
In uniuerſo nomen extat orbe?

ODE IX.

Confitebor tibi Domine.

LAudabo toto pectore te Deus,

Et mira dicam cuncta libens tua.
Lætabor, exultaboq́ in te,
Laude tua Pater occupabor.
Tu cogis hoſtes terga meos dare,
Fuſiq́ uultu diſpereunt tuo:
Tu noſtra clemens uota comples,
Inq́ throno mihi iuſtus alto
Videre iudex. nam grauis increpas
Gentes, & omnes conteris impios:
Totosq́ ſic deles, eorum
Vt neq́ mentio reſtet ulla.
Vaſtarén' hoſtis pergis, & occupas
Vrbes piorum, tamq́ ferociter
His uictor inſultas, ut ipſis
Nulla abiens monumenta linquas?
Manere nec ſcis perpetuò Deum?
Iuſtumq́ iam nunc iudicium throno
Sediſſe ſublimi, daturum
Omnigenis ouibusq́ & hircis?
Quin hic egenti pronior eſt uiro
Iudex, & illo tempore maximè,
Quo crux (moleſtare abſtineto)
Sæuit, adeſt Pater, atq́ uindex.
Te Chriſte fidant, tu quibus agnitus:
Nam non relinquis, qui tibi ſupplicant.
Cantate patrono Sionis,

Eius

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Eius & acta referte paſſim.

Fuſi ſuorum ſanguinis eſt memor,
Auditą quouis tempore pauperes:
Et nunc miſertus diſce, quàm nos
Alme Deus premat hoſtis atrox.

Meą inferorum cultibus exime,
Quo porrò certo ritibus occuper
Verbo ſacratis in Sione,
Teą fide ſtimulante laudem.

Hoſtes putreſcant in foueis ſuis,
A ſeą nexis retibus hæreant:
Tu iuſtus autem Chriſte iudex
Conſpiciare. ſuo maligni

Premantur aſtu, & diſpereant ſimul
Merſi barathro, tu quibus excidis:
Sed pauperes ne quando linquas,
Spes inopum caue nę premetur.

Exurge, fortis ne ſit homo Deus,
Vultuą gentes perde grauis tuo,
Vindexą terre: facą poſthac
Seſe homines precor eſſe norint.

ODE X.

Vt quid receſsiſti longè.

CVr ſtas remotus, cur Pater abditus
Hoc hulceroſo tempore non iuuas,
Quo tanta turbat crux fideles,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Quo miſeris adeò uocaris?
En cum ferocit, ceu Deus, impius,
Tum pauper ardet, fertq́ crucem tuus.
Captare quo nos cogitauit,
Ipſe rogo capiatur aſtu.
Nam gloriatur cultibus impiè,
Suo repertis ingenio ferox:
Abſoluit & ſontes auarus,
Atq́ Deo mouet ore bilem
Blaſphemo, & ipſum plus nimio tumens
Contemnit: & non conſilijs ſuis,
Eius uoluntatem requirit:
Omne quod edit, abominandum eſt.
Excedit eius ſancta grauem tua
Captum uoluntas: attamen & ſuos
Conculcat hoſtes, & beatum
Se fore cogitat abſq́ fine.
Perdente doctrina os ſcatet illius:
Lingua ſub eius fraus, dolus, & labor,
Et prauitas regnat, latetq́
Sicut in inſidijs agrorum.
Iuſtum trucidat, lumina pauperum
Scrutantur eius, ceu leo pauperem
Conatur in reti doloſo
Et capere, & iugulare captum.
Tantis tyranni uiribus obruta

Cadit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Cadit tuorum turba gementium:
Aſt ipſe credit ceu remoto
Facta tibi ſua non uideri.
Exurge, dextram cede pater, tibi
Afflicti amici ne precor excidant.
Cur corde blaſphemo malignus
Iudicium tibi demet omne?
Tu qui laborem Chriſte uides grauem,
Hoc omne ſpectas, & manibus tuis
Committis ultro uindicandum:
Tu miſeris pater, orphanisq́.
Regnum tyranni deſtrue reprobi,
Eiusq́ Babel dirue funditùs:
Tu rex perennis, iamq́ fœlix,
Quæſo uacet tua terra ſorde.
Cœpit piorum uota libens Deus,
Suiq́ gemitum pneumatis audijt,
Et iuuat afflictos, ut hinc iam
Terrigenæ careant pauore.

ODE XI.

In Domino confido, &c.

SVmmo fido Deo, quid mihi dicitis:
In montes ut auis tutius amigrat,
Sic & tu proprio conſule corpori,
Vulgiq́ utere moribus.
Certum, ni facias, ecce periculum

Inſtat. namq; ſuis arcubus impij
Iam tenſis adhibent ſpicula Gnoſia,
Quo furtim perimant pios.
Fundamenta etiam, uerba Dei, quibus
Te munire queas, diruta iam iacent,
Et uanis hominum ſubdita ſomnijs
Horrent, quid faciat pius?
Atqui cunctipotens templum habitat ſacrum,
Cœleſtiq; ſuo conſidet in throno:
Eius reſpiciunt lumina ſedulò,
Luſtranturq; hominum genus.
Et iuſtum Dominus ponderat, & malum:
At qui praua facit, non amat ut pium:
Quin ignes, laqueos, ſulphuraq; omnibus
Iratus pluet impijs.
Nec non horribilis iudicis his furor
Abſorbendus erit, ceu data potio.
Nam rectus Deus eſt, iuſticiamq; amat:
Ac rectos uidet, & probat.

ODE XII.

Saluum fac Domine.

H*VC ades ô redemptor. (& fidelis.*
Namq; uix quiſquã ſupereſt, heu, pius,
At ſimul uniuerſi (gunt
Vana iam tradunt miſeris, nec niſi falſa ſpar-
Dogmata: blandienteſq;

Auribus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Auribus noſtris, duplici corde loquũtur om-
Contere quæſo peſtes, (nes.
In tuis quotquot placitis, dũ ſpecioſa quærunt,
Haud Deus acquieſcunt, (iunt,
Quotquot & noſtris labijs obtineamus, a-
Libera ne illa nobis
Sunt dijs terræ? Dominis ſubdita cũcta nobis.
Sed Deus inquit: Ecce
Propter afflictos inopes, & gemitus eorum,
Nunc ego ſurgo uindex,
Et fero contra poſitas inſidias ſalutem.
En mea uerba, faxo,
Septimũ purgata, animos ut recreent piorum
Denuò, pauperesq́;
Iam meos arment, faciantq́; hoſtibus altiores.
A' generatione
Hacce nos praua redimes tu Pater, & beabis
Iugiter. hi profani
Dum tuæ genti præerunt, impia turba creſcet.

ODE XIII.

Quouſq; Domine obliuiſc.

QVò Deus uſq; egentis (uſq; clemens
Non mei motus recoles? quò miſero
Non mihi tu redibis?
Quàm diu curis uarijs anxius occupabor?
Cordeq́; quæram inani,

Quî iugo poſsim reprobi concilij explicari?
Reſpice quæſo mitis,
Et meos illuſtra oculos, ne nece mergar atra,
Deindeq́; clamet hoſtis:
Victus eſt. hoſtes ſalient læti, ego ſi mouebor.
At bonitate fido
Rex tua, laudes recinam ſac tibi liberatus.

ODE XIIII.

Dixit inſipiens in corde, &c.

ORe quidē ſtultiq́; Deū, reprobiq́; fatētur,
Sed non mens incredula ſentit.
Quin omnes pariter corrupti degenerarunt,
Iamq́; hominum nemo integer extat.
Proſpicit è cœlo Deus, an quis in orbe ſuperſit,
Qui ſapiat, Chriſtumq́; requirat.
At pariter cuncti peccant, ſordentq́; maligni,
Nec ſupereſt bonus ecce uel unus.
Nónne ſcient reprobi ſcelus eſſe, uorare piorum,
Ceu panem, bona, corpora, uitam?
Et non poſſe Deum fidenti corde precari?
Incutient tandem iſta pauorem.
Nam Deus eſt grata uindex in ſtirpe piorum,
Quorum uos confunditis ora,
Cunctipotente Deo fidant licet, Iſraeli
Qui dabit è Sione ſalutem.
Quum nos hac uinctos Deus è Babylone reducet,

Iamq́;

Iamq́ agiles ſibi denuò iunget:
Tunc animo populus tuus exultante reſurgens,
Grata libens tibi carmina pſallet.

ODE XV.

Domine quis habitabit.

QVis fide Chriſti poterit manere
Particeps membrum Deus, inq́ monte
Quis tuo ſancto requieſcet, abſq;
Fine beatus?
Integer uitæ, ſcelerisq́ purus,
Qui ſuum cuiuis dat, & abſq; fuco:
Vera qui ſemper loquitur, nec ulli
Detrahit ore.
Qui nocet nulli ſtudiò, probrumq́
Obijcit: cuius mala turba menti
Fœtet, at chari chorus ille Chriſti
Sanctus amatur.
Quiq́ quod iurat, facit: æra qui dat
Non ad uſuram ſua, quiq́ iuſtum haud
Damnat ob munus. bene quiſq; uiget
Iſta beatus.

ODE XVI.

Conſerua mē Domine, &c.

TE pater fido, mihi tu benignus
Aßides, qui mî Deus, atq; rex es:
Ecce te propter fero triſti acerbos

Corde

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Corde dolores.
Sancti, & illuſtres pietate uera,
Quos habet tellus, mea ſola cura:
Sed gemant plagis, ſibi falſa quotquot
Numina fingunt.
Victimæ, tales tibi quas cruentis
Offerunt palmis, odium mouebunt:
Sed nec illorum mea lingua nomen
Clarificabit.
Tu Deus pars es mea, ſorteq; omnes
Tu pios iungis mihi, ſors amœna
Obtigit per te, tibi fide promam
Carmina rector.
Et mihi in cæcis quoq; dum tenebris
Obſtrepunt renes, tibi iungo memet,
Tuq; ades dexter mihi, ne maligno
Frangar ab hoſte.
Hinc cor exultat mihi, mensq; tota
Gaudet, hæc laudem tibi lingua cantat,
Inſuper certa caro læta iam ſub
Spe requieſcet.
Non meam quippe in tumulo relinques
Tu Deus uitam, neq; computreſcat
Sanctus admittes tuus in ſepulchro:
Sed mihi pandes
Tramitem uitæ pius, atq; uultu

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Me tuo lætum ſatiare perges,
Ac tua nunquam dabis auſerenda
Gaudia dextra.

ODE XVII.

Exaudi Domine, &c.

AVdi iuſte parens, atq; preces meas
Puras fraude, pijs auribus excipe:
Solus tu mihi iudex,
Qui rectos bonus aſpicis.
Tu ſcrutare meum pectus, & aſpicis
Vel nocti implicitum fidere me tibi,
Et quòd tela maligni
Non ex ore uolent meo.
En iuſsis hominum, quæ reprobus mihi
Deſtructor tumido gutture præcipit,
Patris uerba ſeuera
Seruans, abſtineo, tui.
Da conſtanter eam per tua dogmata,
Nec permitte latus flectar in alterum:
Te dux inuoco, clemens
Votis annue tu meis.
Te fretos bonitas mira iuuet tua,
Sermonisq; tui liberet hoſtibus:
Et me quæſo tuere,
Ceu pupillam oculi tui.
Sub ſermone tuo protegar à malis,

Qui

Qui fictis miſerum cultibus obruunt,
Quiq; hoſtilibus armis
Affligunt animam meam.
Hi ſecure adipem ſub cute nutriunt,
Gaudentq; ore ſuo grandia proloqui,
In rectaq; doloſi
Me circumueniunt uia.
Hi terra miſeros occulere ſtudent,
Nulla diſsimiles parte leonibus
Prædam ferre paratis,
Dum nigrante latent ſpecu.
Quin tu ſurge parens ocyus, ut males
Perdas, hancq; animam ſurripe de tuo
Peccatoribus enſe,
Mundaniſq; manu tua.
Mundanis, quibus hoc pars data ſeculum eſt:
Qui dum tu latitas, heu nimium diu,
Florent prole, ſuamq;
Committunt ſibi ſubditis
Doctrinam populis. At ego rex pie
Mundatus faciem, da ſpeculer tuam,
Aeternumq; beatus
Maieſtate fruar tua.

ODE XVIII.

Diligam te Domine.

D*iligo te rex, mea fortitudo,*

Qui

Qui mihi tutor, petra, liberator,
Atq; quo fidam clypeus, meaq; es
Cardo ſalutis.
Ore te laudande pater, manuq;
Liber hoſtili tibi mox reuertar,
Atq; cantabo meritas alacri
Pectore grates.
Nunc at incumbit mihi mortis horror,
Triſte me turbat ſcelus, ater orcus
Imminet capto, pariterq; mortis
Rete perennis.
Obrutus mœrore Deum precabor,
Ipſeq; aſſumet mea uota mitis,
Et meus clamor ueniet benignas
Eius in aures.
Hoc enim irato tremit & mouetur
Terra, turbantur, ſaliuntq; montes,
Fumus atq; ignis uolat, ardet ipſo &
Carbo furente.
Sic polo ſciſſo uenit, atq; pennis
Nititur Cauri, tenebrisq; & undis
Abditus denſis latet, atq; nimbis
Obſitus atris.
Obuias nubes fera grando pellit,
Et uorax ignis: tonat ipſe lege
Celſus horrenda, iaculisq; miſsis

Territat

Territat orbem.
Et grauem iratus iaculatur undam,
Et ſoli pandit latices: at ô me
Vidit ex alto pius, horridaq́;
Soluit ab unda.
Meq́; robuſtis bene liberauit
Hoſtibus paruum, & miſero nocentes
Diſpulit, nec non placidum refecit,
Atq; beauit.
Integrum, purum, ſuaq́; exequentem
Iuſſa conſtanter ſimul, atq; plenè,
Me parens æquus meritò beatum
Extollet honore.
Sanctus es ſancto, ſed iniquo iniquus:
Namq; contritum populum beabis
Tu Deus, uerùm tumido feroces
Pectore ſternes.
Tu meam accendis genitor lucernam,
Et ſimul pellis tenebras: geroq́;
Forte te bellum duce, cuius omnis
Eſt uia recta.
Cuius & uerbum, cruce dante uires,
Eſt eo niſis clypeus: quis uſquam
Eſt Deus præter Dominum? quis uſquam
Fortis, ut ille?
Hic mihi robur, mihi puritatem,

Gloriam,

Gloriam, ceruiq́ pedes, & artem
Bellicam donat, mihi cedet ex hoc
Aereus arcus.
Ipſe protector meus, ipſe fulcrum, &
Auctor: hoc hoſtes duce perſecutus
Opprimam uictor, pauidosq́ noſtra
Sub iuga mittam.
Me paras bello, mihi ſubdis hoſtes,
Et ſimul perdis Deus: inuocabunt
Tum quidem, at ſerò: cineris lutiq́
More peribunt.
Me ſed exemptum populi querelis
Gentibus pones caput. ecce turba
Seruiet non nota mihi, lubentiq́
Aure trahetur.
Interim multi ſpurij negabunt
Me, fugam multi ſpurij capeſſent,
Et ſuos mores propè claudicabunt
Inueteratos.
Viuit in cœlo Deus, & triumphat,
Qui mihi ſubdit populos, & hoſtes
Opprimit uindex meus ille in omni
Clade patronus.
Hinc tibi laudes recinam choragus
Gentium, regem tibi conſecratum
Quod piè ſaluum tuearis abſq́
Fine Dauidem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE XIX.

Cœli enarrant.

CLamant ipſa Deo ſidera gloriam,
Cœlumq́ hoc oculos ante tuos locat
Illius fabricam, & noctu, itidem die
Verbum nunciat illius.
Nuſquam non Dominum uoce canit ſua,
Quin eius ſonus, & uox abit ultimas
In terras: radians in medio patet
Soli uiuifico domus.
Hic ceu ſponſus abit de thalamo ſuo, &
Magnum geſtit iter conficere, ut gygas,
Totum & cœlum agilis tranſit, & omnia
Flammis irradiat ſuis.
Mentes pura Dei lex renouat: Dei
Verbum perpetuum eſt, ac humiles docet,
Et mandata Dei recta ferunt pio
Secum gaudia pectori.
Noſtri iuſſa Dei lucida fumidos
Illuſtrant oculos, cultus item Dei
Purus, non cadet, ac iudicium illius
Verum eſt, & ſimul optimum.
Plus auro famulis iſta placent tuis,
Et plus melle, meo dulcia gutturi:
Nec tantum erudiunt me, ſed & adferunt

Seruanti

Seruanti bona præmia.
Quis delicta ſuo corde latentia
Agnoſcat, uideatq́ indice ſpiritu?
Tu tectis precor à flagitijs pater
Cor mundare uelis meum.
Quin & me famulum quæſo iuua tuum,
Ne ſonti foueam corde ſuperbiam,
Tunc ceu ſorde carens, & ſemel omnibus
Liber criminibus canam.
Tunc & uerba fluent grata tibi mea,
Atq́ omnis ſapiet te meditatio,
Sermonemq́ tuum: tu Deus es meus,
Patronusq́ fidelium.

ODE XX.

Exaudiat te Dominus.

MOEſtum te Deus audiat,
Afflictumq́ iuuet, deq́ ſuo tibi
Cœlo fidus opem ferat:
Grata & pinguis ei uictima ſit tua,
Placatusq́ tua nece,
In primis propria munificentia,
Cordi ſat faciat tuo,
Nec non conſilium promoueat tuum.
Te nos incolumi, ſimul
Exultabimus, & propitio Deo
Noſtro ſigna locabimus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Tantum cuncta precor uota tua impleat.
Nunc agnoſco, ſuo pius
Quod Chriſto Dominus præſidium tulit,
Suſcepitq́; throno è ſuo,
Robuſtaq́; ſua iuuit eum manu.
Sunt qui curribus, & feris
Innituntur equis: nos at in unico
Spem fixiſſe iuuat Deo.
Vnde &, quando cohors illa ferox cadet,
Nos perſtabimus hoſtium
Victores. placitum quæſo pater iuua
Regem, noſtraq́; perferat
Mitis uota, tuam cum petimus manum.

ODE XXI.

Domine, in uirtute tua, &c.

IN uirtute tua rex ouat, ô Deus,
Admiſſusq́; tibi quò lubitum ſalit?
Nil quod poſtulat eius
Mens, & lingua, negas ei.
Quiduis largus ei das, caput aurea
Illius decoras per diademata,
Vitamq́; adijcis illi
Poſcenti ſine termino.
Dextra magnus adeſt, ac celebris tua,
Et proponis eum perpetuum bonum
Amplectentibus: ergo

Vultu

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Vultu lætus ouet tuo.
Vno fidit enim te patre, ne cadat:
Hoſtes inueniat dextra malos tua,
Ceu fornaceq́ clauſos
Igni conſice noxio.
Flauentes ſegetes, ac ſobolem bonam
Illis ne tribuas: propterea, tibi
Quòd ſtruxere maligni
Aſtum difficilem ſibi.
Hinc calcabis eos, & iaculis tuis
Ictos conficies. Surge Deus tuis
Lucens uiribus, acta
Tum præclara canam tua.

ODE XXII.

Deus Deus meus, &c.

O Pater, quare mihi non egenti
Subuenis? quare mihi ſtas remotus,
Dum tibi noctuq́ dieq́ mœſtas
Fundo querelas?
Præſides templo tamen, & fidelem
Suſcipis turbam: tibi ſupplicabant
Et patres noſtri, ſua ſed refecti
Tecta petebant.
Aſt ego heu uermis probra ferre cogor
Infimæ plebis miſero obloquentis:
En Deo niſus fuit hic, amicum

Liberet ille.

Tu tamen matris mihi pandis aluum,
Educas & me teneris ab annis:
Immò uix natum tibi liquit uni
Mater alendum.
Cladibus ne me fugias onuſtum
Vnice adiutor: quaſi tauri inultum
Plurimi cingunt, mihi rugiuntq́;
More leonum.
Effluit ſanguis uelut unda, tabent
Oſſa, mollitur quaſi cera pectus,
Robur areſcit mihi, uoxq́; ſiccis
Faucibus hæret.
Vt canes inſtant mihi, gens prophana,
Et mihi palmas fodiunt, pedesq́; hinc
Oſſa nudantur mea, meq́; læto
Pectore cernunt.
Diuidunt noſtras ſibi ſorte ueſtes.
Sed precor, ne tu mea fortitudo,
Me pater linquas, at opem ut miniſtres
Acceleratò.
Libera mucrone, canumq́; morſu
Tu meam uitam, & trucium leonum
Faucibus diris, pariterq́; ſæui
Dentibus urſi.
Tum tuum narrabo meis amicis

Nomen,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Nomen, in ſacraq́ canam phalange:
Vos Deum grato celebrate mecum
Corde fideles.
Non enim ſpernit, nec abominatur
Pauperem afflictum, ſed adeſt precanti:
Hinc tibi in magno mea uota reddam
Carmina cœtu.
Pauperes ſermone Dei refecti
Concinent: cunctiq́ Deum ſecuti,
Recreabuntur ſine fine, mensq́
Viuet eorum.
Mox Deo accedet memor omnis orbis,
Teq́ gens omnis pater inuocabit:
Nam tuum eſt regnum, tibi fidus omnes
Adſero gentes.
Imbibet uero tua uerba corde
Omnis electus tibi: ſed paterno
Pulueri immerſus, cui tecta ſordet
Vita, peribit.
Seruient pauci tibi, mundo adempti,
Et tibi iuncti uenient, tuumq́
Poſteris tradent opus, ut fideles
Iuſtificentur.

ODE XXIII.

Dominus regit me, &c.

C*Hriſtus labantem iuſticia ſua*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Me paſcit: ergo nil deerit mihi,
Quin ſim beatus, tam benignus,
Tamq́ potens mihi cum patronus
Adſit. profectò paſcua ſunt bona,
Vbi fidelis paſtor ouem ſuam
Me collocauit: dulcis unda,
Sermo patris, mihi quem propinat.
Hinc recreatur mens mea per Dei
In me fauorem, cum famulum ſuum
Deducit in calles beatos,
Iuſticiaq́ ſua coronat.
Hinc ſi uel atros trudar ad inferos,
Nihil timebo: tu mihi namq; ades,
Virgaq́ legis me ſeueræ
Corripis, & baculo inde fulcis
Promiſsionum. Menſa mihi quoq;
Strata inter hoſtes lethiferos tuum
Verbum adminiſtrat, corq́ mæſtum
Exhilarat mihi, ceu Lyæo.
Quin ſubſequetur me bonitas tua
Vitam per omnem, meq́ Dei domus,
Eccleſiæq́ permanere
Efficiet ſine fine membrum.

ODE XXIIII.

Domini eſt terra, &c.

QVæ mare, quæ tellus habet, et quæ luci-
dus æther, *Sunt*

Sunt bona cuncta Dei.
Impoſitum ſuſpendit aquis hic conditor orbem,
Fluminibusq́ ſolum.
Iam quis inacceſſum Domini conſcēdere mōtem,
Caſtraq́ ſancta queat?
Integer, & purus, cuius cor uana relinquit,
Cautaq́ lingua dolum.
Eruet hunc largus iuſtum Deus, atq́ beatum,
Nempe fauore ſuo.
Tam fidos alma una uiros Eccleſia nutrit,
Turbaq́ freta Deo.
Heus portas aperite duces, principsq́ per illas
Inclytus introeat. (tens' ne,
Inclytus hem princeps quis adeſt? Deus omnipo-
Fortia bella gerens?
Heus portas aperite duces, uectesq́ perennes
Tollite, magnificus
Quo rex introeat. Quis rex iſte inclytus? ipſus
Eſt Deus omnipotens.

ODE XXV.

Ad te Domine leuaui animam, &c.

A*D te dux animam Chriſte leuo meam,*
Confidoq́ tibi: ne rubeam mea
Spe fruſtratus, ut hoſtes
Ne inſultent hilares mihi.
Quin quicunq́ ſuum cor tibi dirigunt,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Ne quæſo erubeant: erubeant, mala
Qui te mente repellunt:
Sed me iuſſa doce tua.
Diſcamq́, una ſalus quòd mihi tu ſies,
Ne te perpetuò fidere ſit graue:
O ſpectato propenſum
Preßis ingenium tuum.
Aetate in tenera quæ Deus incidi,
Et uita reliqua ſæua piacula,
Obliuiſcere clemens,
Placatusq́ faue mihi.
Erranti Dominus pandet iter bonum,
Rectoq́ erudiet iudicio pios,
Manſuetosq́ docebit
Veram lege uiam ſua.
At uerò illa quidem tota fidelibus
Eſt mollis pietas, fidaq́ ueritas.
Ergo parce redemptor
Fœto flagitijs mihi.
An quiſquam Dominum corde timet pio?
Illum de placitis erudiet uijs:
Eius pura quieſcet
Mens, & ſemen erit potens.
Eſt ipſum Dominus petra timentibus,
Et qui ſancta colunt fœdera. te Deus
Semper fido, meosq́

Solues

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Solues tu laqueo pedes.
Deſertum placido lumine me Deus,
Afflictumq́ uide, multiplices mea
Angunt pectora clades,
Per te liberer obſecro.
Noſter quæſo tibi ſit labor, & dolor
Notus: quodq́ odio me premat hoſtium
Ingens, reſpice, turba,
Confiſumq́ bea tibi.
Me rectum atq; bonum ſerua, & ab omnibus
Charum conſilium ſolue piaculis,
Cunctisq́ hoſtibus illud
Mecum extolle cadentibus.

ODE XXVI.

Iudica me Domine, &c.

IVdica me labe pater uacantem,
Atq; ſincera tibi mente niſum,
Et meum tenta cor, & ure renes,
Viſceraq́ ima.
Namq; te noui facilem, inq́ uerbis
Eſſe ueracem, populosq́ cantus
Execror uanos, & iniqua uita
Geſta patrantes.
Impium horrebo, fugiamq́ cœtum,
Sordeq́ ablutis manibus per omne
Cultibus ſermone tuo ſacratis

Perfruar

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Perfruar æuum.

Hinc tuas paſſim celebrabo laudes,
Miraq́ edicam tua geſta, uerbo
Dux tuo ſancita modo ſtupendo
Diligo ſacra.

Ne meam perdas animam oro iudex,
Fœtidi membrum gregis ut putreſcens,
Cuius & plenum cor iniquitate, &
Munere dextra eſt.

Me tibi iunctum redime, atq́ ſalua,
Et meum ſiſtat cor in æquitate,
Et Deo promam pia cum fideli
Carmina cœtu.

ODE XXVII.

Dominus illuminatio mea.

QVos inter hoſtes? quod graue pallidus
Bellum timebo, cum mihi proximus
Illuminator Chriſtus adſit,
Ille ſalus mea, uisq́ uitæ?

Iuxtà maligni cum ſteterint mihi,
Carnem feroces ut comedant meam,
Hoſtes mei, aduerſariјq́
Ecce cadent ſubitò, & peribunt.

Hinc bella ſi uel, duraq́ prælia
Circundarent me, non pauido tamen
Cor fluctuaret, quin cieret

Spes

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Spes alacrem mihi certa mentem.
Conſtanter unum te precor hoc Deus,
Vitam ut per omnem templum habitē tuum:
Quo læter in Chriſto fidelis,
Ipſius & ſacra pura uiſam.
Me perditurus crebrò furens Deus
Templo latentem præterit in ſuo,
Atq; in beantis caſtra nati
Voce manuq; ſua leuatum.
Deuicit hoſtes nunc etiam meos:
Vnde immolabo uoce tibi mea
Laudes in arce alta piorum,
Et tibi carmina læta pangam.
Audi miſertus tu modò conditor
Meam querelam. cogito nam tuæ
Promiſsionis ueritatem,
Reſtituiq; tibi laboro.
Vultum ſerenum ne mihi tu nega,
Nec me per iram deſere ouem tuam:
Rectosq; me calles doceto,
Meq; meos rege propter hoſtes.
Ne derelictum cunctipotens pater,
Spretumq; diræ me tribulantium
Tradas uoluntati. En doloſo
Fata mihi minitantur ore.
Nec ſpes relicta eſt ulla miſerrimo,

Quam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Quàm quod tenaci pectore me bona
Credam recepturum, ſoluto
Quando mihi reditura uita eſt.
Quid mœſta uerò mens mea me premis?
Expecta amici præſidium Dei,
Robuſta ſis, & pectus arma,
Ferq; manum Domini ſauentis.

ODE XXVIII.

Ad te Domine clamabo.

AD te clamo gemens petra Deus mea,
Tu me quæſo iuua, ne miſer in lacum
Lapſis aßimiler: moxq; ubi te precor,
Audi uota libens mea.
Ne me perde, mali ceu ſocium gregis,
Qui fert ore bonum, corde tegens malum:
Facto digna ſuo præmia talibus
Vltor cede nocentium.
Nam cæco Dominum pectore non uident,
Vixq; ut uana hominum ſomnia diligunt
Eius uerbum, & opus: dirueris eos,
Et non ædificaueris.
Laudandus Dominus, qui mea ſuſcipit
Vota: ipſe eſt clypeus, quo mea nititur
Mens, ipſumq; malis eruta prædicat,
Et cantu celebrat pio.
Robur Chriſtiadûm tu Deus, & ſalus,

Serua

Serua quæſo tuum perpetuò gregem,
Electuſq́; tuis dona fer, & rege,
Exaltaq́; uolens eos.

ODE XXIX.

Auferte Domino, &c.

HEus Deo ſoli proceres duceſq́;
Gloriam, & robur date, ſubditiq́;
Eius, & nomen canite atq; magni
Ducite uocem.
Vox Dei multas tonat inter undas,
Vox Dei fortis, celebriſq́; duras
Arbores frangit, Libaniq́; natas
Vertice cedros.
Vox Dei montes, penetrante Cauro,
Concutit, ſaltuq́; nouat petulco:
Vox Dei flammas premit, eq́; eremis
Elicit herbas.
Atq; fœcundas facit illa ceruas,
Atq; ſyluarum tenebras reuelat,
Turbaq́; in ſacra decus eius æde
Concinit omnis.
Ille ſubmergit reprobos, pioſq́;
Purgat à labe, & ſine fine regnat,
Robur & noſtrum placita fideles
Pace beabit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE XXX.

Exaltabo te Domine.

TE pſallo, qui me Chriſte leuas malis,
De me nec hoſtes exhilaras meos:
Te noſtra compellat querela
Turbida, tu medicina nobis.
Ex inferorum ſordibus erutam
Tu Chriſte uictor fers animam meam,
Meq́; à caducis ſeparatum,
In foueam, laqueum'ue, ſaluas.
Quare fideles uiuida principis
O` membra Chriſti munificum Deum,
Eiusq́; non euanitura
Dona pio celebremus ore.
Eſt quippe nobis ira Dei breuis,
Sed uitam amicis dans fauor haud perit:
Quanquam ergo fletum ueſper offert,
Gratum hilari citò mane ſurget.
Sic me fruentem luce Dei modo
Nullo mouendum tempore credidi:
Tu namq; ceu menti benignus
Præſtiteras mihi robur ingens.
Sed mox ubi me deſtituis tuo
Vultu ſereno, turbor, & horreo:
Et uerſus ad cor, te benignè
Continua pater oro uoce:

Quid

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Quid conferet mors quæſo tibi mea?
An ueritatem ſub tumulo tuam
Cantabo? quare motus audi
Vota mea, & mihi tutor adſis.
Meum ecce planctum nunc quoq; gaudio
Mutas, & auſers ſaccum inamabilem:
Noſtrumq́; dulci, ceu corona,
Lætitia graue pectus ornas.
Quo glorioſum gloria te tua
Pſallat, nec unquam prætereat ſilens:
Quin ipſe uitam te per omnem
Chriſte mea celebrabo uoce.

ODE XXXI.

In te Domine ſperaui.

TE ſpes fixa pater mihi,
Ne quæſo rubeam ſemper, at eruar
Tectus iuſticia tua.
Pronaq́; accipiens aure preces meas,
Feſtino fer opem gradu,
Meq́; abſolue malis: tu petra, tu ſalus,
Tu munita mihi domus
Eſto. Robur enim, & ſuffugium es meum.
Ergo nomine ſub tuo
Me duc, utq́; bonus paſtor ouem rege.
Daq́; ut retia tranſeam
Furtim ſtructa mihi: tu mea ſpes enim,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

En commendo meam tuas
In palmas animam, quando redemeris
Innisum famulum tibi,
Vt uanus minimè tu loqueris Deus.
Fruſtra uana ſequentium
Turbam odi, Domino fidere ſed placet:
Hincq́; ingente tuus fauor
Cor perfundit agens lætitia meum.
Namq; anguſtia cernitur
Abs te noſtra, uides preſſam animam meam:
Nec me durus in hoſtium
Concludes manibus, ſed pius erues.
O' placare mihi Deus
Afflicto, cui mens, atq; oculi putrent,
Ira uenter item, tua.
Cur in mœſticia uita mea effluet?
Anniq́; in gemitu mei?
Robur flagitijs concidit en mihi,
Flaccentq́; oſſa diu mea,
Illudorq́; meis hoſtibus omnibus.
Vicinisq́; pauor meis
Euaſi, & fugiunt me foris obuium.
Atq; ut mortuus, atq; uti
Vas confractum, hominum cordibus excidi.
Nam multi obijciunt mihi
Probra, in circuitu terror adeſt, uti

De

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

De me conueniunt, ſimul
Tollendum ſtatuunt me nece, ceu reum.
Sed confido Deus tibi,
Teq́; appello patrem: tempora nutui
Morem noſtra gerunt tuo.
Tu me lethiuomis hoſtibus eripe.
Vultum pande mihi tuum,
Me clemensq́; malis exime: ſupplicem
Neu confunde precor Deus.
At confunde, Stygiq́; inyce reprobos.
Quiſquis falſa fidelium
De turba loquitur, duraq́; contumax,
Obmuteſcat: at ô bona
Das præ uulgo hominum quanta fidelibus?
Nempe abſcondis eos tua
Protectos facie de uiolentia,
Rixoſisq́; uirum labris.
Laudandus Dominus, munificentia
Qui me mirificat ſua
Muniti impoſitum turribus oppidi.
Sed terrore iacens modò
Abiectum tremui, perpetuò ratus
Irati à facie Dei.
Sed cum te pauido denuò pectore
Oraui ſimul, & fide,
Audiſti facilis Chriſte meas preces.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Nunc ô turba fidelium,
Admirare Deum, grataq́ dilige:
Credentes etenim beat,
Et uindex animis digna ferocibus
Reddit præmia. Vos Deo
Quotquot nitimini pectore ſimplice,
Fortes eſte per omnia
Forti aduerſa fide, & ſtate uiriliter.

ODE XXXII.

Beatus uir, cui, &c.

FOelix, à uitijs quem Deus abluit,
Cuiusq́ occuluit fœda piacula
Chriſtus iuſtificator,
Patronusq́ fidelium.
Fœlix & nimium, quem placidus pater
Ira iam poſita reſpicit ut pium,
Occultoq́ ſolutum,
Et rodente iecur dolo.
Dum commiſſa premo tecta ſilentio,
Tabent perpetuis oſſa doloribus:
Nam mi dextra moleſta eſt,
Exhauritq́ adipem tua.
Verùm uoce humili cum refero tibi,
Mox hinc flagitium ſancte pater meum,
Peccatumq́ reuelo,
Condonas ea protinus.

Hanc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Hanc abs te ueniam ſancti etiam petunt
Omnes, quum Domini flatus eos agit:
Verùm crimine merſi,
Nullas mente dabunt preces.
Tu mî ſubſidium, tu mihi cantica
Strato ſuppeditas hoſte, & ais: Mea
Te decreta docebo,
Perducamq; oculo meo.
Ne mulo ſimilis ſis, & equo, meæ
Doctrinæ rudibus: quorum etiam chamo,
Frenoq; angimus ora,
Ne quem dentibus impetant.
Plagis innumeris eluet impia
Culpam turba ſuam: ſed Domino pio
Quotquot pectore fidunt,
Tranſibit placidus pater.
Eius iuſta igitur iuſticia cohors
Credentum, atq; animo ſimplice præditi,
Læta carmina mente
Decantate ſuauia.

ODE XXXIII.

Exultate iuſti in Domino, &c.

HEus Deum laudate pij, fideles
Vt decet, gratiq; lyra ſonora,
Voceq; intenta noua dedicate
Carmina Chriſto.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Nam Dei uerbum bonum, opus fidele eſt,
Iuſtaq; & ſincera probat, ſuaq;
Indigam larga bonitate terram
Ditat ubiuis.

Axis, aſtrorumq; phalanx, creata
Sunt Dei uerbo, tumidasq; ponti
Ille aquas, tanquam ſibi ſeruientes,
Detinet utre.

Incolæ terræ Dominum timere
Subditi diſcant: ſimul ipſe namq;
Dixit, & mandata dedit, creatus
Conſtitit orbis.

Cæca, quæ fingunt homines prophani,
Diſsipat conſulta Deus: ſed ipſe
Quod docet, nullo uelut abrogatum
Concidet æuo.

Illa gens fœlix, cui tu patronus,
Et pater, celſo tibi cogniti omnes:
Tuq; cor noſtrum, ſimulatq; geſtum,
Omnia cernis.

Non uiros fortes ſua fortitudo
Seruat, aut reges: equus ad ſalutem
Poſcitur fruſtra, neq; herum periclis
Eruet ullis.

At Deus, quicunq; timebit ipſum,
Eius & fidit bonitate, ſpectat,

Vt neci ereptet miſerum, famisq́;
Tempore paſcat.
Ergo nos te ſancte pater manemus:
Namq; tu noſter clypeus, tuumq́;
Hac fide læti recolemus alta
Mente fauorem.
Quæſo ne nobis ſit inanis hæc ſpes:
Mira ſed tandem tua conferatur
Largitas, quando tibi mente cuncti
Fidimus una.

ODE XXXIIII.

Benedicam Dominum omni tempore.

LAudabo Chriſtum tempore quolibet,
Lausq́; eius ori nunquam aberit meo:
Ac mente de ipſo gloriabor,
Percipiant miſeri, ſuoq́;
Dolore preſſo, mecum hilares canant.
Horſum fideles magnificum Deum
Efferte mecum, & nomen eius
Carminibus celebremus unà.
Ipſum rogaui, & me pius audijt,
Motusq́; cunctis eripuit malis:
Illuminantur quotquot ipſum
Inſpiciunt, neq; uana eorum
Sunt uota. pauper cum pauido hic Deum
Corde inuocauit, ſenſit opem ſibi:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Sic Chriſtianos turba cunctos
Conglomerans iuuat angelorum.
Guſtate mentis quàm Deus indigæ
Gratus palato: & cernite ſpiritu,
Quàm ſint beati, quotquot illo
Spem ſtabilem ſibi collocarunt.
Timete ueſtrum quæſo pij Deum:
Nam quiſquis illi ſubditur, haud eget.
Egent leones: nudus autem,
Qui ſequitur Dominum, fouetur.
Adeſte nati, noſtraq́ dogmata
Audite hiantes: quandoquidem Dei
Trado timorem, trado cultum,
Quo placeatis ei tributo.
Si uita cuiquam eſt cara bona, is mala
Ne læuus unquam dogmata ſeminet:
Sed praua uitans, recta pronus
Arripiat, foueatq́ pacem.
Deus fideles reſpicit, & libens
Preces eorum ſuſcipit: at furor
Illius impendet malignis,
Quo penitus citò deleantur.
Iuſtos precantes audit, & omnibus
Demit periclis, ipſeq́ ſpiritu
Et corde contritis propinquus
Adſtat, eosq́ ſalute donat.

Aduerſa

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Aduerſa cedunt multa fidelibus,
Sed Chriſtus illos liberat omnibus,
Seruatq́ eorum fidus oſſa
Cuncta, ſinitq́ perire nullum.
Perdet malignos nequitiam ob ſuam,
Hoſtesq́ noſtros deſtruet: at ſuos
Seruat miniſtros, nec uel unum
Ille perire ſinet fidelem.

ODE XXXV.

Iudica Domine nocentes, &c.

Hoſtes quæſo meos, bella pater mihi
Quotquot ſæua mouent, obrue prælijs:
Scutum atq arma capeſſe,
Quo ſis auxilio mihi.
Enſem prome, necem qui mihi cogitant,
Interclude uiam: iamq́ animæ meæ
Certis aſſere ſignis,
Quòd ſis uera ſalus ei.
Confunde, interitum qui cupiunt meum:
Atq auerte, mihi qui mala cogitant:
Et, ceu puluis ab Euris,
Impellantur ab angelis.
Ipſorum in tenebris lubrica ſit uia,
Et cœleſtis eos urgeat angelus:
Quando retia uitæ
Tendunt immeritò meæ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Improuiſa ſimul perdat eos lues,
Nec non & laqueis impliciti gemant,
Quos ipſi occuluerunt,
Suamq́ in foueam cadant.
Aſt exultem equidem, cordeq́ gaudeam
Sincero in domini munificentia:
Dicam & pectore uero,
Quis par Omnipotens tibi?
Tu fortes inopi ſubdis, & eripis
Afflictum, & miſerum diripientibus:
Falſi en crimina teſtes
Ignota obyciunt mihi.
Pro magno officio retribuunt malum,
Solumq́ in media me cruce deſerunt:
Aegrotantibus illis
Quanquam ſaccum inamabilem
Ieiuno tulerim corpore. pioq́ eis
Haud fruſtra tamen id, nec ſine præmio,
Supplex irrequieto
Patrem corde rogauerim.
In fratrum ueluti caſibus aſperis,
Immò in matris uti funere lugubrem,
Aegrotantibus illis,
Mœrens indueram togam.
Ipſi uerò hilares clade canunt mea,
Et me continuis (fex hominum leuis)
Pergunt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Pergunt ludere ſannis:
Quin & dentibus infremunt.
Quando reſpicies, ô Deus? Eripe
Me tam peſtiferis quæſo leonibus:
Tunc præconia iunctis
Exponam populis tua.
Ne læti ſaliant, qui temerè mihi
Obſiſtunt odio, turpe nec os trahant,
Dum pro pace loquuntur
Nil, ſed pacifico dolos
Alto corde ſtruunt, meq; ſuper ſuis
Linguis ingeminant: Euge, quod hactenus
Expectauimus, id iam
Certo lumine cernimus.
Scis hæc cuncta parens, ne ſileas precor,
Nec diſcede procul, ſed fer opem mihi,
Illisq;, arbiter æquus,
Ne ſim læticiæ caue.
At uerò erubeant, & pereant ſimul,
Quotquot noſtra, hilari uoce, canunt mala,
Quiq; opponere nobis
Linguam non dubitant ſuam.
At contrà placido pectore gaudeant,
Quotquot iuſticiam concupiunt meam,
Et qui iugiter aiunt:
Seruum pace ſuum fouens

Cantetur

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Cantetur Dominus. noſtra tuam quoq;
Grato iuſticiam carmine prædicet
Mens, & lingua, tuaq́;
Nullus laude uacet dies.

ODE XXXVI.

Dixit iniuſtus, ut delinquat, &c.

IMpij ſcelus mihi
Teſtatur ipſum non timore duci
Summi & optimi Dei:
Nam dum probatur turpe crimen illi,
Eius igne carpitur,
Certum nec horret iudicis furorem.
Hinc ab ore iniquitas
Procedit eius, atq; dogma falſum,
Quiq́; tramites tui
Verbi ſequatur renuit doceri.
Sed uel in thoro ſuo
Iniqua mente cogitat prophana.
Non bonam terit uiam,
Nec quæq; cautus praua abominatur.
Ergo lenitas tua eſt,
Qui parcis illis, ô pater, ſtupenda:
Immò cura prouida,
Amorq́; noſtrum uincit iſte captum.
Quo trahente beſtias
Curas, ut ipſos poſteros Adami.

Summa

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Summa lenitas tua eſt
Creator, in te noſtra ſpes quieſcet.
Et replebis uberi
Tu nos uoluptatum è penu tuarum.
Namq; origo, & una fons,
Et prima uitæ cauſa tu beatæ es.
Teq́; ſolis in modum
Surgente, ueri lumen intuemur.
Quæſo te ſcientibus
Tuam ſtupendam pande lenitatem.
Atq; cordis integri
Viros, tua illa ſanctitate ueſti.
Meq́; ne ferocium,
Peccantiumq́; cede uis laceſſat.
Concidant ibi impij,
Vireſq́; poſthac ne ſuas reſumant.

ODE XXXVII.

Noli æmulari, &c.

CVm uides fauſta rate nauigare
Impios, noli puer æmulari:
Mox enim herbarum, uiridisq́; plantæ
More peribunt.
Fide tu Chriſto, propriumq́; iuſtus
Incolas agrum, pariterq́; largus:
Et Deo gaude, tua mitis ille
Vota replebit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Te Deo committe, ſua beabit
Ille tutela propè deſtitutum,
Atq; ceu clara tibi ſe fauere
Luce probabit.
Fide tranquillus Domino, nec unquam
Proſpera ſontis moueare ſorte,
Et prêmas iram: ſcelus en patratur
Grande per iram.
Praua patrantes citò deſtruuntur:
Sed pio quotquot Domino acquieſcunt,
Hi diu largæ reliqui fruentur
Munere terræ.
Mox requiſitus locus impiorum
Nullus extabit: ſed in omne mites
Permanent æuum, placidoq; pacem
Corde recondunt.
Impius iuſtos uidet, & minatur
Dira, ſed ridet pater altus illum,
Moxq; rupturam uidet haud putanti
Stamina Clotho.
Impij ſtringunt gladium, & ſagittas,
Quo pios omnes perimant: ſed enſes,
Telaq; ipſorum ſua permeabunt
Propria corda.
Paululum iuſti magis expetendum eſt
Copia ditum, & ſimul impiorum:

Nam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Nam malorum uis cadet, at fideles
Nutrit Ieſus.
Scit dies iuſti Deus, & manebit
Sors pijs æterna, nec erubeſcent
In die duro famis at refecti
Tempore pſallent.
Sed malignantes inimica Chriſto
Turba uaneſcent, quaſi fumus, atq;
Ceu adeps agni teneri potenti
Diſperit igne.
Mutuum ſumens malus haud rependit,
Commodant uerò, tribuuntq́; iuſti:
Affluet qui uel fauet his, inanis
Oſor abibit.
A' Deo greſſus hominis reguntur,
Is uiam uult eius: & ergo primo
Non perit lapſu, quia fulcit eius
Dextra cadentem.
Nec puer quondam, neq; grandis unquam
Deſeri uidi ſine pane iuſtos:
Imò dant ſemper, nec egena poſt ſe
Pignora linquunt.
Fac bene, & uita mala. nam fideles
Diligit, ſeruatq́; Deus: malorum
Concidet ſemen, pia ſemper autem
Turba uigebit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Proferunt iuſti labra ueritatem,
Et ſui is legem Domini ſacratam
Cogitat, nullaq; poteſt moueri
Ergo ruina.

Hunc uidet quæritq; neci tyrannus:
At Deus non in manibus relinquit
Eius oppreſſum, neq; cum furente
Iudice damnat.

In Deo ſperes igitur, terasq;
Illius calles, ita mox beandus
Es bonis terræ, et pereunte uiues
Agmine prauo.

Impium fortem, uiridemq; cedri
More conſpexi modo: ſed tametſi
Iam requiſitus, nequit inueniri
Perditus idem.

Simplices aduerte bonosq; tandem
Pace donari: ſed iniquitate
Fœtidos, una ſimul ex ruina
Concidere omnes.

At ſalus iuſtis uenit à Tonante,
Qui iuuat preſſos, & ab impiorum
Vi, ſua fretos bonitate miro
Seruat amore.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE XXXVIII.

Domine ne in furore tuo, &c.

IRaſcare licet iure mihi Deus,
Impulſusq́ meo crimine fulmines,
Vt miteſcere ſonti,
Fidens oro tamen, uelis.
En tela hoc penetrant cor tua, me tua
Vindex dextra premit, non mihi ſanitas
Vlla in carne relicta eſt,
Non pax ulla ſub oßibus.
Quippe admiſſa reum iam ſcelera obruunt,
Et maiora meis pondera uiribus
Priſca errata recrudent,
Cum nunc inſipiens fui.
Hinc incuruor humo mœſtus, & ambulo,
Cum flãmas mea alant membra grauißimas,
Corruptaq́ ſuperſit
Nil in carne mea boni.
Hoc, hoc me malè habet, meq́ humilem facit,
Hoc crebros gemitus elicit: an pater
Hæc non conſpicis? an'ne
Conſtant uota tibi mea?
Turbata eſt mihi mens, robur abijt meum,
Caligant oculi, ſtant procul inſuper
À me chari, & amici:
Dum me plaga premit grauis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Sed quicunq; mihi perniciem truces
Optant, quiq́; animæ rete parant mea,
Semper praua loquuntur,
Voluuntq́; aſsiduè dolum.
Aſt ut ſurdus ego, qui caret aurium
Senſu, ſum interea, piſceq́; ceu magis
Mutus, deſino quanquam
Falſo obiecta refellere.
Nam te fido pater, tu referes eis
Reſponſum: ſiquidem cogito, ne mihi
Inſultare loquaci
Lingua, ſi mouear, uelint.
At pœnam accipio ſedulus, & dolor
Obuerſans animo ſemper adeſt meo,
Et peccata fatebor
Perquàm ſollicitus mea.
Fiunt uſq; magis multiplices mei
Hoſtes, quiq́; odijs me temerè impetunt:
Et me pacis amantem,
Ipſorumq́; grauant patrem.
Ne me quæſo parens abijcias Deus,
Ne'ue à me fugias durus: at ô mihi
Spes æterna petitam
Allaturus opem ueni.

ODE XXXIX.

Dixi cuſtodiam uias meas, &c.

NE peccem ore Deus meo
Dixi: cautus ero, frenaq; prouidus
Labris inijciam meis.
Contra me Semeis cum ſtetit impius,
Patrata obijciens mala,
Hinc planè ſilui, nullaq; uel bene
Auſus uerba loqui fui,
Triſti perniciem pectore ſentiens.
Mœror quippe redijt meus,
Corq; efferbuit in uiſceribus meis,
Exarſitq; Dei ſuror,
Tanquam flamma, meum dum recolo ſcelus.
Tunc hos ore dedi ſonos:
Finem quæſo meum da uideam pater,
Et uitæ breuitas meæ
Sit mî nota: meos, ecce ferè dies,
Vitæ & curriculum meæ
Menſuræ digiti perſimile efficis.
Immò quid niſi uanitas,
Cuncti ſunt homines coram oculis tuis?
Vmbræ prætereunt modò, &
Fruſtra ſollicito corde parant opes,
Linquendas cui neſcij.
Ergo cunctipotens quid morer hic Deus?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Certè te mea nititur
Spes, cunctis miſerum ſolue piaculis,
Stultoq́; opprobrium uiro
Ne me ſumme, rogo, tradideris pater.
Clauſis obticui labris,
Quando conſilio res geritur tuo
Plaga liberer à graui:
Læſus namq; tua deficio manu.
Quando corripis ob ſcelus
Tu uindex hominem, quicquid habet boni,
Ceu roſum à tinea, perit.
Omnes quippe homines ſunt mera uanitas.
Audi uota libens Deus,
Clamoremq́; meum, nec lachrymas meas
Tardo reſpice lumine.
Tecum more patrum nam ſumus incolæ.
Quæſo cede parum, & tua
Ira me releua, quo recreer fide
Nondum mortuus, atq; ita
Pro luctu uetitus quærere gaudium.

ODE XL.

Expectans expectaui Dominum.

SPes mea mî manſit Domino, nec ille
Fidus urgentem ſua uerba liquit:
Sed mihi intendit, meaq́; aure cœpit
Vota benigna.

Meq́;

Meq́ de limo, luteaq́ foſſa
Sumpſit, & feſsis loca firma plantis
Contulit, noſtro hinc noua prompſit ori
Carmina, laudem.

Cœtus his uiſis Dominum timebit,
Atq; eum ſolum petet: ille fœlix,
Spe ſua quiſquis Domino locata,
Vana relinquet.

Multa quæ præſtas memoranda paßim,
Quæq́ de nobis meditare tecum,
Mira ſunt, nec quis tibi comparandus
Eſſe uidetur.

Victimæ non te, neq; dona noſtra
Recreant (aures mihi perforaſti)
Munus oblatum tibi pro reatu
Diſplicet omne.

Ergo, quem cuncti cecinere uates,
Ille, iam dixi, uenio, tuæq́
Sum uoluntati, placitisq́ promptus
Morigerari.

Non meam in cœtu tenui frequenti
Teſte te linguam: ſed hoc incolentem
Gratiam pectus, retuli benigno
Fratribus ore.

Teq́ ueracem populo fideli,
Teq́ mirandæ bonitatis eſſe

Doctus, haud unquam tacui, ſed illud
Profero cunctis.
Tu tua ne me bonitate fruſtres.
Largitas at me tua, ueritasq́;
Iugiter ſeruet, quia clade cingor
Vndiq; multa.
Meq́; conſtringunt mea praua geſta,
Et meos cæcant oculos, grauantq́;
Corda præ turba, mihi tu benignus
Auxiliare.
Da graui preßi rubeant pudore,
Atq; perdantur, mala mî precantes:
Et meæ quotquot, fera turba, uitæ
Dira minantur.
Sed canant læto tibi corde, quotquot
Te uolunt, ardentq́; tuam ſalutem:
Spiritu ſum pauper ego, & bonorum
Omnium egenus.
At mei curam Deus ipſe cæpit,
Tu mihi adiutor, mihi liberator
Es Deus, tu me pater eruturus
Accelerato.

ODE XLI.

Beatus qui intelligit ſuper egenum, &c.

Foelix, qui miſeros curat, ei Deus
Triſti ſubueniet tempore, conditor

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

In uita omnigenis quæ ſcateat bonis,
Conſeruabit eum diu.
Non abducet ouans hunc manus hoſtium,
Quin infirmo etiam ſubſidium feret:
Et quæ ſtrata cubans occupat, hæc quaſi
Verſabit manibus Deus.
At nunc æger ego dico, mihi Deus
Clemens eſto, meam ſana animam, febris
À cauſa, uitijs innumeris: tibi
Peccaui ſiquidem reus.
Hoſtes de miſero me male murmurant:
Quando morte hominum cordibus excidet?
Et ſi quò uideant me, ueniunt, mihi
Fucatos recitant ſonos.
Culpa ſeſe onerant, mox foris impijs
Adiuncti ſocijs omnibus inquiunt:
Patrauit ſcelus, hinc incidit in febrem,
Ex qua ſurgere non ualet.
Quin & pacis homo, quem mea menſa alit,
Et quo fido, mihi corde ſtruit dolum.
Tu me ſancte parens erige denuò,
Tanta ut crimina puniam.
Hinc noui quòd ames me Deus, hoſtibus
Quòd non lætitiæ cauſa ferar meis:
Puro mittis opem tu mihi, & uſq; me
Seruandum tibi ſuſcipis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Laudandus meritò ſecla per omnia
Princeps omnipotens, & ſine termino
Illum turba canat læta fidelium,
Atq; extollat: Amen, Amen.

Finis libri primi.

CARMINVM DAVIDICORVM LIBER Secundus.

ODE I. Pſal. 42.

Quemadmodum deſiderat.

ANhelus undã ceruus ut appetit,
Sic noſtra te mens, & ceremonias
Autore nobis te relictas,
Chare modo ſine Chriſte flagrat.

Te Chriſtè noſtrum, & ſacra tuo ſimul
Ornata iuſſu cor ſitit: ad tuo
Quando ſacratos ore cultus
Perueniam, tua uerba palpans?

Panis fuerunt mî lachrymæ meæ
Die atq; noctu: quottidie mihi
Quando occinatur penè moto,
Chriſtus ubi tuus heus moratur?

Reſpiro, rurſus cum memini hinc, pio
Interfuturum cum grege me tuis

In laude, cœleſtiq́ ſacris
Læticia, ſaliente turba.

Quid triſte plangens mens mea me ſuper
Tumultuaris? fide Deo, quia
Mox ut redemptorem patremq́
Lætus eum celebrabo rurſum.

Mens noſtra luget, quando tui Deus
Ex hac eremo Iordanica miſer,
Hermoniaq́, & monte Mitſar
Continuis recolo querelis.

E clade clades pullulat, en tuis
Me ſic procellis obruis omnibus,
Quin luce diuinum fauorem,
Nocte melos mihi ſuaue donas?

Te mœſtus oro, uita mea, & ſalus,
Cur negligis me? cur abeo grauem
Sub pectore occultans dolorem,
Hoſte tui dominante ſerui?

En oſſa frangunt, ceu gladio, mea
Hoſtes maligni: quottidie mihi
Quando exprobrantes obloquuntur:
Chriſtus ubi tuus heus moratur?

Quid triſte plangens mens mea me ſuper
Tumultuaris? fide Deo, quia
Mox ut redemptorem patremq́
Lætus eum celebrabo rurſum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE II. Pſal. 43.

Iudica me Deus.

AGente iudex eſto mihi pius
Quæſo profana tu Deus, & uiris
A fraudulentis & doloſis
Accelera mihi liberator.
Nam fortitudo tu Deus es mea:
Cur negligis me? cur abeo grauem
Sub pectore occultans dolorem,
Hoſte tui dominante ſerui?
Emitte lucem propitius tuam,
Et ueritatem, quò mihi ſit uia,
Montemq́ ducant ad Sionis,
Et ſimul ad tua pura ſacra.
Lætusq́ ad aram perueniam tuam,
Chriſtumq́ cauſam lætitiæ meæ:
Tum te libenter concinemus
In cithara pariter ſonora.
Quid triſte plangens mens mea me ſuper
Tumultuaris? fide Deo, quia
Mox, ut redemptorem, patremq́,
Lætus eum celebrabo rurſum.

ODE III. Pſal. 44.

Deus auribus noſtris.

PAtrone noſter, quòd ualida manu
Quondam gerebas, temporibus patrum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Noſtras ad aures candidorum
Venit id omne patrum relatu.
Illos abactis utpote gentibus
Tu tu beaſti: non ſua dextera
Plantauit illos, atq; terram
Enſe manuq; ſua beatam
Non occuparunt: ſed tua dextera,
Fauorq; pronus, quo peramaſti eos,
Saluauit illos: Rex, Deusq;
Tu mihi, tu redimes fideles.
Non æreis hinc fidimus arcubus,
Sperata nobis haud gladio ſalus:
Verùm tuo armati rebellem
Nomine percutiemus hoſtem.
Tu ſolue cunctis à tribulantibus
Nos, atq; cunctis nos odientibus:
Tum Chriſte, te ſolo refecti,
Perpetuò tibi concinemus.
Sed iam rubori tradis, & abijcis,
Durusq; noſtros haud regis exitus:
At nos triumphatos ouanti
Cunctaq; noſtra relinquis hoſti.
Das immolandum nos, ueluti gregem,
Gentesq; uictos ſpargis in exteras,
Fruſtraq; uendis, non locuples,
Inde tuum populum, futurus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Sub te ſeuero iudice riſui,
Noſtris propinquis, atq; probro ſumus:
Vulgoq; de nobis loquuntur,
Atq; mouent caput, ut ſceleſtis.
Pudore ducor quottidie graui
Confuſus, hoſtes aßiduè mihi
Quando exprobrantes obloquuntur,
Meq; premunt, odioſa turba.
Hæc acciderunt omnia, nec tamen
Pactum infideles abijcimus tuum,
Nec retrò cor noſtrum recedit,
Nec tua iuſſa ſequi grauamur.
Quanquam tyranni, non ſecus ac feri,
Suis, dracones, in regionibus
Nos perſequantur, mortis umbra
Obtenebrent quoq; corda noſtra:
Tu docte noſtri pectoris intima
Conſulta iudex ſcis nihilominus,
Nunquam tui oblitos recenti
Nos dare thura precesq; diuo.
Quin propter unum quottidie Deus
Te deſtinamur, ſicut oues, neci:
Exurge, quare Chriſte dormis?
Euigila, neq; ſperne ſemper
Preces tuorum. Cur operis tuum,
Celasq; uultum? cur quaſi non uides

Affli-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Afflictionem quæſo noſtram
Abditus, & tribulationem?
Abiectiores puluere dum ſumus,
Noſterq́ terræ uenter inhæſitat:
Exurge quæſo, occurre promptus,
Nosq́ tua pietate ſalua.

ODE IIII. Pſal. 45.

Eructauit cor meum.

FOeto corde bonum ſuper
Chriſti coniugio, parturio melos:
Lingua, ceu calamo, mea
Doctus ſcriba Dei ſpiritus utitur.
Toti tu iuuenum choro
Præſulges Deus: & gratia de tuis
Admiranda fuit labris,
Atq́ hinc perpetuò te pater euehit.
Eia cinge tuum latus
Bellator gladio, quo tibi gloriam,
Aeternumq́ pares decus,
Cedatq́ iſta tibi gloria proſperè.
Verbo, quo tua ueritas,
Manſuetudoq́, & hinc iuſtificatio
Credenti patet, inſide,
Fortemq́ eſſe probet dextera te tua.
Sagittæ ancipites tuæ
Hoſtiles animos duriter occupant,

Dantq́

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Dantq́ his uitam, alijs necem:
Sic ſub te populi dupliciter cadunt.
Eſt æterna Deus tua
Sedes, & ſtabilis, uirgaq́ regia,
Qua regnum tibi uendicas,
Defendisq́ tuum, dicitur æquitas.
Corde iuſticia eſt tibi,
Odiſtiq́ malum: conditor hinc poli,
Propter participes tuos,
Vnxit lætifico cor oleo tuum.
Præ myrrha, & caſia, tua
Veſtimenta fragrant: inſuper adferunt
Cauſam læticiæ tibi
Ob puros animos, meq́, tuas domus
Regum filiæ honoribus
Abs te præpoſitæ. dextera ſed tibi
Stat regina, tibi data
Rex coniunx, rutulis inclyta ueſtibus.
Audi nata, lubens tuum
Spectatoq́ uirum, nec tibi patriæ
Vlla hinc mentio ſit tua,
Neu deſerta patris te retrahat domus.
Tunc rex iſte potens tuam
Ardebit ſpeciem, qui Deus eſt tuus.
Hinc matrona libens ei
Temet ſubijcias, & famulam dato.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Seſe idolomanes tibi
Gentes dona ferent: & faciem tuam,
Præblandumq́ tuum ſinum
Omnes eximij de populo petent.
Intus regia filia
Tantum ornata, palis enitet aureis.
Regi induta togas acu
Pictas adueniet: turbaq́ uirginum,
Quæ ſunt ſanguine proximæ,
Intrabit pariter, quò tibi ſeruiat.
Mira læticia ſimul
In templum uenient, regis erunt loco
Mox patrum tibi liberi:
Terrarum dominos conſtitues eos.
Cantabo tibi iugiter,
Quin & te populi perpetuò canent.

ODE V. Pſal. 46.
Deus nobis refugium.

NObis effugium eſt omnipotens Deus,
Virtusq́, & cruce nos eruit à grauis
Hinc ſperabimus, etſi
Montes concutiat mare.
Vt uaſto tumidum cum ſonitu mare
Terras ingrediens horribili pede
Montes concutit altos,
Sic nos praua premit manus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

At nil illa poteſt, quando pij gregis
Puris dulce nitens cultibus oppidum,
Tanquam flumen amœnum
Diuinus recreat fauor.
Hanc urbem ſiquidem tu Deus incolis,
Hinc immota manet præſidio tuo,
Quod maturus egenti
Semper ſuppeditas ei.
Gentes uoce pauent, regna cadunt, tua:
Imò tota graui terra tremit metu:
Nobis ecce piorum
Tutor cunctipotens fauet.
Huc huc mira Dei geſta reuoluite,
Qui Mauorte ſolum liberat effero,
Arcus conterit, haſtas
Frangit, plauſtra facit rogum.
Tranquilli, quod ego, cernite, ſim Deus,
Qui terræ dominer, gentibus imperem:
Nobis ecce piorum
Tutor cunctipotens fauet.

ODE VI. Pſal. 47.
Omnes gentes plaudite, &c.

PLaudite terrigenæ manibus,
Læta pſallite gentes
Voce Deo, quoniam Dominus
Altus, terribilisq́;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Sceptra ſoli totius habet:
Quin & ſubijcit omnes
Sub pedibus noſtris populos,
Conuertitq́ uolentes,
Noſtram & conſtituit placido
Nobis pectore ſortem,
Dilecti decus omne Iacob.
En cum carmine læto,
Et clangore tubæ Dominus
Scandit uictor Olympum.
Pſallite, pſallite quæſo Deo,
Regi pſallite noſtro:
Pſallite, nam regit omne ſolum,
Docto pſallite cantu.
Gentibus imperat ipſe Deus,
In ſanctaq́ uidetur
Sede ſua: quoniam ſatrapæ
Et reges populorum,
Terrarum clypei, Domino
Se iungent Abrahami.
Ritibus abiectis patrijs,
Summo fertur honore.

ODE VII. Pſal. 48.

Magnus Dominus, & laud. *(urbe noſtra,*

MAgnificus Deus, & laudabilis eſt in
In ſacro, & ipſi mōte dedicato.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Quàm pulcher locus eſt, de quo canit uniuerſa
terra,
Rupes Sion hunc alta uerſus axem.
Principis urbs magni, gratas ubi Chriſtus implet ædes.
Se certum amicis exhibens patronum.
Huc ſiquidem reges crebro ſimul impetu coacti
Videre noſtri clara regis acta.
Attonitos, turbatosq; hinc ſtupor, & tremor,
Ceu fœminã quondã, irruente partu, (dolorq;
Corripuit, cum fregit eos, quaſi linteis uolantes
Furente naues inſolenter Euro.
Cernimus id nunc, antè quod auribus hauſimus
In urbe noſtri regis, urbe Chriſti. (remotis,
Perpetuam fundauit eam Deus: En tua ſub æde
Tuum precantes manſimus fauorem.
Nam tua laudatur bonitas, ubicunq; nomẽ extat,
Hunc uniuerſum ſcilicet per orbem.
Iuſticiaq; ſcatet tua dextera, concinant fideles,
Et quotquot unum te Deum fatentur:
Cingite turritum concentibus oppidum decoris,
Eiusq; muros intimo uidete, (ætas
Atq; domus animo, quo poſtera grata pangat
Hunc docta per uos unicum patronum.
Perpetuo ſiquidẽ noſter Deus, atq; rector hic eſt,
Hic nos uirente ducit in iuuenta.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE VIII. Pſal. 49.

Audite hæc omnes gentes.

Qvotquot immenſum populi per orbem,
Diuites, clari, tenues, & imæ
Sortis extatis, mea, quæ profabor,
Sumite uerba.

Ore prudenter loquor hoc, meiq́ʒ
Cordis in primis meditata recta,
Ad lyram plectro meditor ſonorò
Dulce poema.

In die cur propter opes timebo
Lapſus horrendo? mea iudicandum
Prauitas cur me premit, aut caduca
Sollicitudo?

Audiant cuncti, ſua quos poteſtas
Erigit, quos inflat opum facultas,
Quod ſuum nemo nece poßit atra
Soluere fratrem.

Nec queat quicquam Deus ut recantet
Mitior fatum dare. Nam, ſepulchro
Quo quis, & dira nece liber omne
Viuat in æuum,

Maius eſt dandum precium: uides'ne
Emori doctos etiam, peribunt
Stultus ac prudens ſimul, ac relinquent
Aera propinquis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Cogitant ædes fore ſempiternas,
Quas ſtruunt, famamq́ ſuam perennem:
Hacq́ diuerſis ſua mente terris
Nomina ponunt.
Sed diu non floret homo, peribit
More iumenti: uia quippe ſtultos
Illa peruertit, tamen hac ſequentur
Poſtera ſecla.
Vt pecus tetro tumulo putreſcent
Mortui, & uictos pia turba ſubdet:
Robur illorum ueteraſcet, orcum
Pro domo habebunt.
At meam iudex animam nigranti
Subtrahet clemens Deus ex auerno:
Namq́ me iungit ſibi, me ſuopte
Saluat amore.
Ne time dites, quibus auro & oſtro
Fulgurant ædes nihil auferent hinc,
Triſtis incautos ubi mors repentè
Aggredietur.
Affluens uiuit ſibi talis uni,
Ac tibi id laudat quoq́: ſed parentum
Concidet fato miſer, & perenni
Luce carebit.
Sic honoratus, nec item fidelis,
Et piè prudens homo diſperibit

More

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

More mutarum pecudum, beati
Liminis exul.

ODE IX. Pſal. 50.

Deus deorum Dominus locutus.

VIndex piorum cunctipotens Deus
Loquetur, omnesq́ ut trifidi ſuæ
A' ſolis ortu, aq́ occidente
Approperent homines iubebit.
Splendore magno præſtò erit è Sion
Ad iudicandum: flamma uorans eum
Præcedet, & circumſonabit
Horribilis quaſi nimbus illi.
Cælum aduocabit iudicij ſui,
Terramq́ teſtes, qui ſuper hoſtijs
Icere mecum pacta, ſanctos
Ocyus huc mihi congregate.
Audi loquentem credula me cohors,
Et iura dantem: nam tibi ſum Deus:
Non uictimarum ob raritatem,
Semper eas mihi cum ſacraris,
Damnata flebis. Non uitulos tua,
Hircosq́ olentes poſtulo de domo:
Nam quotquot in ſyluis & agris
Sunt pecudes, uolucresq́, noui.
Num te precabor, ſi mihi ſit fames?
Cum plena noſtra terra ſit in manu?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Quid? bubula num carne ueſcar?
Num pecorum ſitio cruorem?
Laudem immolabis, ſi ſapies, Deo,
Eiq́ reddes uota libens tua,
Meq́ inuocabis clade preſſus,
Meq́ ſolutus honore tolles.
Verùm prophano cunctipotens ait:
Cur impudens tu iuſſa refers mea,
Virtutis omnis certus hoſtis,
Pura cui mea uerba ſordent?
Furi reperto te ſocium exhibes,
Stulteq́ mœchis participas uiris,
Inſanda conſueto profaris
Ore, dolum tua lingua nectit.
De fratre prona mente ſedens tuo
Probroſa dicis. Talia cum facis,
Haud ultor aſto, meq́ factum
Iam ſimilem tibi ſuſpicare.
Sed ecce iudex te grauis arguam,
Mihiq́ ſiſtam: diſcite hoc obſecro,
Quorum cor à Chriſto receſſit,
Ne rapiam uiolenter omnes.
Quicunq́ laudem ſacrificat mihi,
Honorat is me, ſicq́ uiam terit,
In qua ſalutem conſecuto
Perpetuò niteam redemptor.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE X. Pſal. 51.

Miſerere mei Deus.

SIs mihi clemens Deus ex fauore
Prono, & immenſa miſeratione
Hoc meum dele ſcelus, atq; cuncta
Crimina tolle.

Nam nefas agnoſco meum, reoq;
Agnitum turbat mihi corda ſemper:
Nil enim eſt quod non male, te ſeuero
Iudice, geßi.

Sic tuos offendi oculos, ut omni
Iuſtus in ſermone tuo proberis,
Vtq; mortales tua uerba cuncti
Mitia laudent.

En mihi uixdum generato adhæſit
Prauitas primi patris, & ſequace
Labe concepit mea me rebellem
Carnea mater.

Ecce ueraci mihi corde iuſſa
Poſcis impleri tua. quodq; multos
Fallit, oſtendis mihi, meq; læſum,
Teq; medelam.

Quare, ut hyſſopo, pater alme, nati
Gratia luſtra mihi cor, lauaq;:
Mundus hinc fiam, & niue mentem habebo
Candidiorem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Da per auditum mihi mitis ingens
Gaudium: & rurſus, modò quæ dolore
Quaſſeras iuſtò, mea recreentur
Cœlitùs oſſa.
Ne meam iratus uide iniquitatem
Quæſo, ſed dele: mihi cor fidele,
Spiritumq́; affla nouum, eumq́; rectum,
Sancte creator.
À tua ne me facie repellas,
Spiritum uerò mihi linque ſanctum,
Reddeq́; optatam ſimul & ſalutem,
Læticiamq́;.
Meq́; confirma tibi mente prompta,
Iuſſa tum prauos tua perdocebo,
Impijq́; ad te ſua recreati
Pectora uertent.
Obſecro fuſo Deus à cruore
Me ſalus purga mea: tum libenter
Te meo iuſtum grege pro fideli
Gutture pangam.
Oro recludas mea labra tandem,
Quo tuam narret mea lingua laudem,
Vnicè gratam tibi: namq́; fœtet
Victima craſſa.
Victimam cenſes tibi perplacentem,
Spiritum triſtem: nec abominari

Pectus

Pectus attritum potes, agnitoq́
Crimine preſſum.
Pro tuo erga nos genitor fauore
Cætui quæſo benefac piorum,
Ciuitas quo ſancta ſuis niteſcat
Denuò muris.
Tunc tibi iuſtæ ſimul, & placentes
Hoſtiæ paßim Deus offerentur.
Tum tuam gratis uitulis per aram
Laude litabunt.

ODE XI. Pſal. 52.
Quid gloriaris in malicia.

QVid ô tyranne gloriaris de malo?
Diuina toto lenitas
Perdurat æuo: Lingua cogitat tua
Peruerſa, ceu nouacula
Dolos acuta nectis: atq; ardentius,
Quàm recta, praua diligis,
Mauisq́ falſo quàm loqui ueraciter.
Corrupta ſemper dogmata,
Et fraudulentam linguam amas. hinc deſtruet
Tandem ille uictor te Deus,
Euulſeritq́, & ſubmouebit perpetim
A` ſanctuario ſuo.
Iuſti uidebunt, & timebunt, atq; eos
Riſu laceſſent inimico:

En iſte Chriſtum non locauit unicum
Sibi patronum, & uindicem,
Sed æri & auro plurimo confiſus eſt,
Rebusq́ uanis niſus eſt.
Sed nos, oliuæ more amabiliſsimè
Virentis in domo Dei,
Fidemus, eius iugiter clementia:
Laudabo ſemper te Deus
Hæc præſtiturum, & nomini innitar tuo,
Nam ſic placet ſanctis tuis.

ODE XII. Pſal. 53.
Dixit inſipiens, &c.

ORe quidē ſtultiq́ Deū, reprobiq́ fatētur:
Sed non mens incredula ſentit.
Quin omnes pariter corrupti degenerarunt,
Iamq́ hominum nemo integer extat.
Proſpicit è cœlo Deus, an quis in orbe ſuperſit,
Qui ſapiat, Dominumq́ requirat.
At pariter cuncti peccant, ſordentq́ profani,
Nec ſupereſt bonus ecce uel unus.
An' ne ſcient reprobi ſcelus eſſe, uorare piorum,
Ceu panem, bona, corpora, uitam?
Et non poſſe Deum fidenti corde precari?
Et uano terrore moueri?
Nam Deus omnipotens uires confregit eorum,
Aduerſo qui te aggere cingunt:

Ille

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Ille ubi ſpreuit eos, confuſi terga dederunt.
Quis dabit è Sione ſalutem?
Quum nos hac uinctos Deus è Babylone reducet,
Iamq́; agiles ſibi denuò iunget,
Tunc animo populus tuus exultate reſurgens,
Grata libens tibi carmina pſallet.

ODE XIII. Pſal. 54.
Deus in nomine tuo, &c.

NOmine mî ſalutem
In tuo præbe Deus, & me tua fortitu
Vindicet à malignis. *(do*
Lenis has audito preces, hasq́; pater querelas:
Vrbis enim beatæ
Exules in me pariter Martia concitarunt
Prælia, meq́; fortes
Ad necem quærunt, Dominum nec metuunt
Ecce Deus patronus *(ſeuerum.*
Eſt meus, fidosq́; mihi proſequitur fauore.
Tu mala uerte noſtra
In meos hoſtes, & eos fulmine ſterne uerax.
Sponte tibi immolabo,
Et tuũ (ſic namq; iuuat) tũ celebrabo nomẽ.
Omnibus eruiſti
Me malis, reddisq́; meis hoſtibus ultionem.

ODE

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE XIIII. *Pſal. 55.*

Exaudi Deus orationem.

AVdi uota parens, atq; preces meas,
Auſculta gemitus, & querimonias
Quas oppreſſus iniquis
Edo ſemper ab hoſtibus.
Inſtant quippe graues ex odio mihi:
Turbatur mihi mens tacta manu tua,
Terrorq́; horibilisq́;
Me formido quatit necis.
Vel deſerta libens ultima uiſerem,
Si tantum leuibus tuta queam loca
Pennis, more columbæ,
Cœlo accedere peruio.
Hoc uenti citò me turbine ſoluerem:
Iam tu cunctipotens deijce fulmina, &
Linguas diuide eorum,
Nam lis feruet in oppido.
Noctes atq; dies ambulat illius
Per muros, & ibi regnat iniquitas,
Vicatimq́; uagantur
Fraus, uſura, moleſtia.
Perferrem placido pectore, ſi mihi
Plebs hoſtilis atrox obijceret malum,
Oſorumq́; ſtuderem
Euitare moleſtiam.

Verùm

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Verùm indiuiduus tu comes es meus,
Et dux, quiq; meo ſuauiter uſus es
Mecum pane, ſimulq;
In templo ſtetimus Dei.
Orco immergat eos mors ſubitanea,
Quorum tecta ſcatent ſordibus: aſt ego
Te rex inuoco, tuq;
Seruabis famulum tuum.
Summo manè Deo, deinde meridie
Effundam gemitus, mox & ad heſperum:
Isq; exaudiet, & me
Bellis eximet horridis.
Et multi quoniam ſunt, mihi qui nocent,
Aeternus miſero rex aderit mihi,
Affligetq; rebelles,
Quos nec uerba mouent Dei.
Chriſti lethifera pacificos manu
Turbant & maculant pacta, neſas, Dei,
Linguaq; oreq; blandi
Bellum corde tegunt uafro.
Omne impone tuum Chriſto onus: is feret,
Nec nutare pios perpetuò ſinet:
Hos uerò ipſe malignos
Submerget Stygio in lacu.
Fœdati innocuo ſanguine, cum dolo,
Ex uoto ſtadium curriculi ſui

Nun-

Nunquam dimidiabunt:
Sed te fido parens ego.

ODE XV. *Pſal. 56.*
Miſerere mei Deus, quo. &c.

ADſis benignus quæſo mihi Deus,
Nam ſæuit hoſtis, meq; premit grauis,
Multiq; coniuncti per omnem
Dura mouent mihi bella uitam.
Sed, quo pauebo tempore pallidus,
Te Chriſte fidam: quicquid agit Deus
In me, ſubibo propter ipſum
Fido Deo, caro nil nocebit.
Toto reprendunt uerba die mea,
Semperq; contra me mala cogitant:
Quin & latenter congregati
Noſtrum iter, exitiumq; quærunt.
Impunè non hæc cedet iniquitas:
Franges per iram tu populos Deus:
Noſtram fugam ſcis, atq; fletum,
Scripta tibi uelut in libello.
Tum cedet hoſtis: te mihi cum precor
Fauere diſco: quicquid aget Deus
In me, probabo propter ipſum
Fido Deo, caro nil nocebit.
Tibi dicaui uota Deus pia,
Atq; ipſa, laudem ſcilicet, offeram:

Efferre

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Efferre te mens noſtra geſtit
Dulciſono pater alme cantu.
Nam liberaſti morte animam meam,
Triſtiq; lapſu (ſpero) meos pedes:
Vt porrò Chriſti de fauore
Certus eam, duce luce uita.

ODE XVI. Pſal. 57.

Miſerere mei Deus, miſerere.

CLemens eſto mihi Deus,
Clemens eſto mihi, te mea ſpes enim
Hæret fixa, tuiq; ero
Sub pennis latitans, donec ero miſer.
Altum orabo Deum, Deum,
Qui, quæ poſco, mihi perficit omnia:
Atq; is præſidium mihi
Mittet deſuper. Aſt opprobrium graue,
Me calcantibus hoſtibus.
Quin & munificum ſe Deus omnibus,
Veracemq; fidelibus,
Certis indicijs cœlitus offeret.
Sæuis uita mihi uiris
Eſt ceu carniuoris cuncta leonibus,
Dentes, arma quibus fera,
Atq; anceps gladius lingua dolum tegens.
Altum ſcande Deus polum,
Totiq; eſto ſolo notus honor tuus.

Vita

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Vitæ en rete parant meæ,
Celant & foueam, perniciem in ſuam.
Promptum cor Deus eſt meum,
Promptum te canere eſt: ſurge age tibia,
Surge ô dulce decus meum.
Tete manè canam, te populo offeram
Toti ſuaue melos Deus.
Nam ſummo pietas altior eſt polo,
Et nimbis tua ueritas:
Cœlum ſcande, palàm fiat honor tuus.

ODE XVII. Pſal. 58.

Num uerè utiq; iuſticiam, &c.

NVm iuſtè loqueris turba? bonum conſilium datis
Mortales? Etenim corde uafro perficitis malũ
In terra, manibusq; omne ſcelus nectitis impijs.
Errant à teneris unguiculis, falſiloqui, & mali.
Et ſunt angue magis noxij, habent aſpidis indolẽ,
Quæ ſurda eſſe ſtudet, datq; ſuis auribus obicem,
Vocem ne magiæ mirificam ſenſibus hauriat:
Dentes contere ijs, ceu tumidis Chriſte leonibus.
Vndæ more fluant labilis, ac ſpicula torqueant
Fracta,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Fracta, & cum pluuia, cochlea ceu iunior
effluant, (rota.
Sintq́; ut fœtus iners, cui tua ſol haud micuit
Sic hos Chriſte furens in uiridi gramine de
mete. (manum,
Vindictam aſpiciens hanc Domini plebs pia per
Exultabit, & in ſanguine ſe proluet impio.
Dicetq́; Ecce pijs fructus adhuc reſtat, & eſt
Deus
In cœlo, ac homines iuſticia iudicat integra.

ODE XVIII. Pſal. 59.

Eripe me de inimicis, &c.

A Malo ſac ſim Deus hoſte tutus,
Tutus & graui gregis à cruenta
Dextera. inſonti mihi nam potentes
Fata minantur.
Surge, quo caſſas pietate gentes
Viſites iuſtis Deus alme plagis,
Né ue ijs leni mala tanta gratis
Corde remittas.
Veſperi huc adſunt, faciuntq́; turbas
Vt canes, totam celeres per urbem:
Et meros enſes, quaſi nemo norit,
Ore loquuntur.
Hoſce tu rides, tibi robur horum
Viribus maius Deus his reſeruo,

Quippe es adiutor mihi, lenitate
Præuenies me.
Subditos hoſtes, duce te, uidebo:
Ne citò perdas, citò ne recedant
Mente iuſtorum tua geſta, uerùm
Deÿce ſenſim
Vi tua, quando malè dicta labris,
Oreq́ effertur tumido, dolumq́
Impiè obfirment: meritò hinc furore
Perde relictos.
Te ſciant toto dominari in orbe:
Vt canes aſtant, mihi nam frementes.
Ergo quæſiti licet oſtiatim,
Panis egento.
Te canam robuſtum ego, te benignum,
Spes & adiutor meus in labore es,
Te Deum cantabo mihi fauentem, &
Subuenientem.

ODE XIX. *Pſal. 60.*

Deus repuliſti, &c.

ABiectum populum deſtruis en tuum,
Iratusq́ manes, quæſo reuertere,
Lethaliq́ ſolum uulnere ſaucium
Sana Chriſte fidelium.
Oſtendis miſeris dura, & eos graui
Potas clade: ſoles cum patribus pÿs

Verax ire foras: iam quoq; libera,
Et ſerua populum tuum.
An non pollicitis lætus ero Dei?
Subdam hoc teſte Sichem, metiar et Suchot
Vallem: me Galaad, meq; Ephraim potens,
Manaſſesq; ducem tremet.
Doctor Iuda meus, qua lauer olla erit
Moab. Indue Edom tu mihi calceos,
Regi quin etiam læta canet ſuo
Philiſtina mihi cohors,
Vrbem ad turrigenam quo ueniam duce?
Quo uincetur Edom principe? te ni Deus,
Qui nobis renuis durus opem tuam
Nec nos iam pius adiuuas?
Fer quæſo auxilium ſtragibus in meis,
Nam uana eſt, homines quam tribuunt, ſalus:
Præclara auſpicio bella geram Dei,
Hoſtesq; ille premet meos.

ODE XX. Pſal. 61.

Exaudi deprecationem meam, &c.

SVme preces Deus alme meas, atq; accipe uo-(ta,
Quæ cor ab indigno tibi triſte dat exilio.
Ad celſam, tutamq; petram, quā ſcandere noſtris
Ipſi nequimus uiribus, te duce, perueniam.
Tu mihi ſpes firma es, tu munitiſsima turris
Aduerſus hoſtes, iugiter templum habitabo
tuum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Rurſus ab exilio, Solymos, & ſancta reuerſus
Intrabo mœnia, & tuo protegar auxilio.
Nam mea cœpiſti Deus ô mitiſsime uota,
Hæreditatéq; exhibes, qui tua uerba tenent.
Nónne dies regis numero ſine multiplicabis?
Illiq; ſeclum longius Neſtoreo tribues?
Immò unctus rex te coram ſine fine ſedebit,
Nobisq; tecum præpotens conciliator erit.
Sis memor antiquæ pietatis amabile numen,
Et ueritatis, quæ ducẽ iugiter hunc teneant.
Sic mea perpetuo tibi dulcia carmina pſallam,
Sic uota perſoluam tibi nocte dieq; mea.

ODE XXI. *Pſal. 62.*

Nónne Deo ſubiecta erit.

CHriſto niſa ſile mens mea, quum tremis,
Ipſe affundet opem: petra mea, et ſalus,
Protectorq; futurus:
Hinc omnis ualeat pauor.
Sed uos inſidias quid ſtruitis uiro?
Quo cuncti pariter maceriem uelut
Fractam deijciatis,
Murum & præcipitem datum?
En quærunt humilem reddere, quem Deus
Exaltauit amant: fraudem inamabilem,
Et mendacia lingua,
Blandi, corde ſtruunt malum.

Chriſto

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Chriſto niſa ſile mens mea: ſpes enim
Illo fixa mihi, petra mea, & ſalus
Protectorq́ futurus
Ipſe eſt, haud igitur tremam.
Vna eſt noſtra ſalus, uisq́ & honor Deus:
Freti illo populi ſtate perenniter,
Illi effundite ueſtrum
Cor, ſpes noſtra micat Deus.
Verùm cuncti homines tam tumidi duces,
Quàm uulgi è numero: ſunt mera uanitas,
Iniectosq́ ſtateris
Ipſos uincet inanitas.
Ne uiciſſe iuuet quæſo calumnia,
Nec furtis fieri diuitem inaniter:
Sed nec ſubijce captum
Affuſis tibi cor bonis.
Ex ore hæc Domini perdidici duo:
Quòd ſit nempe potens, atq́ pius Deus,
Quando congrua uitæ
Cuiuis præmia dat ſuæ.

ODE XXII. *Pſal. 63.*

Deus Deus meus.

TE manè quæro, te mea mens flagrat,
Caroq́ te iam preſſa capit mea,
Dum uaſta, & arente hac in ora
Viuo, Deus mea fortitudo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Ceu templo in ipſo, ſic meditor tuum
Robur, decusq́, & me pietas tua
Vita magis delectat ipſa:
Te celebrem mea labra reddent,
Ac te ſuperſtes perpetuò canam,
Tibiq́ palmas has Deus erigam:
Hinc mente pingueſcam referta,
Ore tibi modulabor hymnos.
Ipſo recumbens te recolam thoro,
Eroq́ ſummo manè tui memor:
Nam tu mihi adiutor fuiſti,
Subq́ tuis ago tutus alis.
Te nitor uno, dextera me tua
Suſcepit, hoſtes perdere me parant:
Terræ ſed abdendi latebris
Enſe cadent ſimul, & doloſis
Mox grata fient portio uulpibus.
Sed rex ouabit, quin canet & Deum,
Quicunq nomen iurat eius,
Linguaq́ falſiloqua obſtruetur.

ODE XXIII. Pſal. 64.

Exaudi Deus orationem.

AVdi uota Deus mea,
Hoſtiliq́ metu libera ſit mea
Dona uita: malum & gregem,
Et ſectas reprobas effugiam catus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Quæ linguas acuunt ſuas,
Tanquam enſes, iaculant & ſua ſpicula,
Prauum dogma, citò ut pios,
Et furtim feriant, idq́ citra metum.
Confirmantq́ ſibi ſcelus,
Diſceptantq́, ſuos quî laqueos tegant.
An quis uiderit, inquiunt?
Valde praua animo conſtituunt ſuo,
Quæ mox perficiunt quoq́.
Quin cuiuſq́ uident corde latentia
Vafri ſenſa, tamen Deus
Incautos iaculis interimet ſuis,
Eiusq́ ancipiti cadent
Enſe, ipſosq́ reos lingua premet ſua.
Tum qui conſpicient eos,
Confuſos fugient, omnibus eminens
Narrabunt & opus Dei.
Gaudebit Domino turba fidelium,
Confidetq́ libens ei,
Cantabuntq́ animi quotquot erunt pij.

ODE XXIIII. *Pſal. 65.*

Te decet hymnus Deus in Sion.

L*Audant ſilentes te Deus in Sion,*
Et uota ſoluunt hic tibi, tu preces
Placatus exaudis, & ergo
Tete homines properanter omnes

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Docti requirent. Plurima prauitas,
Et prauitatis pœna ſatis Adæ
Cunctis adhæret: ſed remittis
Tu uitium pius omne nobis.
Nos turba fœlix, quos numero eximis
Vulgi profani tu, tibiq́; aſſeris:
Te quippe gauiſi patrono
Vera tuæ bona ſemper ædis
Corde hauriemus. Mirifica annuis
Tu dona nobis iuſtificans Deus,
Cui tota commendat ſalutem
Terra ſuam, ſita quæ uel ultra
Mare eſt remotum. Tu ſtabilis tua
Virtute montes, & pelagi potens
Iram refrenas æſtuantis,
Et tumidos populum tumultus.
Quos ultima orbis pars habet, à tuis
Signis pauebunt, & facies pijs
Occaſum & ortum perſonare
Carminibus, quia uiſitabis
Terram, atq; fructu per pluuias eam
Ditabis amplo. Flumen item Dei
Vndis ſcatebit, ſicq́; paſces
Indigenas. Age pronus imbres
Emitte cœlo, cunctaq́; germinent,
Quo læta fruges proueniat tua:

Ornabis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Ornabis annum largitate,
Deſinet arida ſic eremus,
Nudiq; colles eſſe, ouibusq; agri
Ceu ueſtientur frugibus, abditæ
Valles niteſcent, iubilabunt,
Atq; melos tibi dulce pſallent.

ODE XXV. Pſal. 66.

Iubilate Deo terra.

HEus Deum tellus cane tota, pſalle,
Nomen illius modulare, laudes
Dic Deo. Quàm clara tuis geruntur
Acta lacertis?
Territi ſeſe tibi fulminanti
Subditos hoſtes ſimulant, ſolumq;
Omne te ſupplex canit, huc adeſte
Fortia noſtri
Geſta uiſuri ducis: ille pontum
Siccat, & flumen pedibus dat aptum:
Hic ſumus lætati in eo, ſtupenda
Facta gerente.
Conſpicit gentes, cauet &, rebelles
Eleuent ne ſe: celebrate gentes
Hunc Deum, qui nos nece ſoluet, atq;
Lubricitate.
Nos enim tentas Deus, & repurgas
Igne ut argentum: laqueoq; captos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Deſeris, nectisq́; oneroſa noſtris
Vincula lumbis.

Das uiros noſtro capiti imminentes:
Adſumus flammis agitati, & undis,
Quos tamen laſſos meliore tandem
Sorte fouebis.

Tum tuam lætus ueniam ſub ædem,
Quæq́; turbato tibi corde uoui,
Nempe ouem pinguem, ſoliiam, bouesq́;
Offeram, & hircos.

Huc ades, narrabo tibi fidelis
Turba, quæ fecit mihi, quum precarer
Hunc modò, & promptum canerem quibuſuis
Pectore uero.

Motus excepit mea uota, quòd non
Conſcio culpæ mihi contigiſſet:
Hinc fide in Chriſtum ferar eſſe purus,
Quem Deus audit.

Laude cantandus Deus eſt perenni,
Qui neq; auertit mea uota durus,
Nec ſua ſemper bonitate mœſtum
Deſtituit me.

ODE XXVI. *Pſal.67.*

Deus miſereatur noſtri, &c.

CLemens aſpicat Deus
Nos, illuminet & ſuo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Verbo, ſeq; palàm probet
Nobis eſſe benignum.
Dona terrigenis tua
Sit perſpecta uia & ſalus
Abs te miſſa fidelibus,
Chriſtus nempe redemptor.
Dignis laudibus euehant
Quæſo te populi Deus,
Omnes te populi ſimul
Grato carmine pſallant.
Gentes corde tibi canant
Læto, dum populos Deus
Iuſto iudicio regis,
Gentesq; inſtruis ipſas.
Dignis laudibus euehant
Quæſo te populi Deus,
Omnes te populi ſimul
Grato carmine pſallant.
Nam ſermone Dei ſata
Fructum terra dabit ſuum,
Largeq; omnia profluent
Dono numinis almi:
Qui noſter Deus eſt, eo
Donante, omnia ſint bona
Nobis oro, trematq; eum
Omnis terra remota.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE XXVII. Pſal. 68.

Exurgat Deus, &c.

EXurget Deus, & protinus illius
Hoſtes diffugient: ceraq; uti fluit
Igni admota, ſimul fumus ut interit,
Sic perdet Deus impios.
Sed coram Domino iuſti hilares agent:
Vos cantate Deo, pſalliteq; illius
Nomen: ſubuehitur (cedite Iah duci
Fata obſtantia) ſuauiter.
Hymnos pangite ei, qui pater orphanis,
Et iudex uiduis altum habitat polum,
Quiq; ex uno hominum ſæpe facit pari
Plenam pignoribus domum.
Vinctis uincla rapit. Sic bene erit pijs,
Sed uaſtam reprobi terram habitauerint.
Per deſerta Deus cum populum tuum
Quondam deuia duceres,
Tellus lege tua contremuit, polus
Stillauit pluuias ad faciem Dei:
Sic & nunc pluuiam das populo tuo,
Squallentemq; nouas eum.
Hinc ô fide tuæ paſtor oues habent,
Paſcant unde grauis tempore ſe famis:
Procuras inopi tu Deus uberem
Vbertate cibum tua.

Cantandi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Cantandi Dominus materiam dedit,
Magna hinc mira Dei turba canentium:
Cum reges fugiant, & ſpecies domus
Prædam Eccleſia colligat.
Nemo fœdus ita eſt, ac humili loco,
Quin uel ſumma queat iam bona fortiter
Sperare: omnipotens cum mihi dat pios
Reges, præ niue candeo.
Pinguis mons Domini, mons Domini editus:
Quid montem, Domino qui placet, ardui
Colles opprimitis? permanet heîc Deus
Præſens uſq; fidelibus.
Currus mille, ue hens mille tuis ades
Ducens aligeros Chriſte: polum occupas,
Captos reſtituis, dona refers tuis,
Quanquam eatenus impijs
Vt ſerues aliquos quottidie. ſuos
Dignus laude Deus deprimit, & leuat:
Qui ſeruare poteſt, eripere & neci
Obiectos, colimus Deum.
Franget cunctipotens is caput hoſtium,
Abradetq; pilos deuia euntium.
E` Baſan, loquitur Chriſtus, & horrido
Saluandos reueh† am è mari,
Effuſo ut rubeat ſanguine pes tuus,
Vtq; ex hoſte tui lingua bibat canis.

Te

Te uidere Deus tendere, te Deus
Et rex aſtra tenens meus.
Cantores præeunt cum grege uirginum
Ludentum cithara, pſalle fidelium
In cœtu Dominum, magnificum Deum,
Ipſi quiſquis ines fide.
Ex Beniamin ibi eſt paruulo eos regens,
Ex Iuda proceres, è Zebulon micant,
Nephthaliq́ duces: ipſe potentiam
Quærit nempe tuam Deus.
In nobis agedum, quæ facis ô Deus,
Confirmare uelis: magna pij ferent
Reges dona tibi, templum ob amabile,
Dilectamq́ Ieruſalem.
Armatos agilis contere lanceis,
Taurosq́, & uitulos: plebis ut offerant
Argentum tibi, tum ſubijcient tibi
Seſe Aegyptus & Aethiops.
Terræ regna Deo pſallite, qui polum
Scandit uictor, ubi perpetuò fuit:
Ecce hinc uerba palàm fortia proferet,
Ipſi pangite gloriam.
Nobis eius opus præcipuè tamen,
Virtusq́ alta liquet: terribilis Deus
In ſermone tuo, & fortis ades tuæ
Genti, te canimus Deus.

ODE

ODE XXVIII. Pſal. 69.

Saluum me fac Deus, &c.

SErua benignus me pater, en aquæ
Vitæ periclum triſte parant meæ:
Nam limo et infigor profundo,
Et tumidis prope mergor undis.
Clamore raucus laſſor, & ægrius
Fido quibuſuis expoſito Deo:
Plures ferè hoſtes immerenti
Sunt mihi, quàm capiti capilli.
Soluo rapinas heic ego non meas:
Meam'ne tu ſcis inſipientiam?
Delictaq; à me perpetrata
Nónne tibi Deus alme conſtant?
Ne quæſo, propter me, tibi dedita
Plebs erubeſcat cunctipotens Deus:
Te propter occultor probroſus,
Meq; mei uelut abdicatum
Fratres relinquunt: quando tuam domum
Ardente Zelor pectore: meq; edunt,
Quêis te laceſſunt, probra. fleui hinc,
Meq; graui fame maceraui.
Saccumq; geſſi ſordidus, & gregis
Fio profani fabula: me graues
Vnum ſenatores loquuntur,
Meq; canunt madidi Lyæo.

Ego

Ego interim urgens inuoco te pater:
Tempus iuuandi eſt, ocyus aduola,
Veraxq́ promiſſam ſalutem
Cede: luto ſimul, hoſtibusq́,
Aquæ & profundæ me Deus eripe:
Ne diruat me fluminis impetus,
Et ne profundum abſorbeat me,
Nec pateat mihi dira foßa.
Audi parens, & quandoquidem pius
Valde es, benigno lumine me uide:
Nec te mihi occultato preſſo,
Sed miſerum propera iuuare.
Mihi propinqua, meq́ meos iuua
Rex propter hoſtes: opprobrium meum,
Confuſionemq́, an' ne tu ſcis,
Cum liqueant tibi me prementes?
Ingente pectus diſcrucior metu,
Nec quis dolori ſe ſociat meo:
Quin fel edendum, & combibendum
Acre truces mihi dant acetum.
Sit laqueus ipſis menſa precor ſua,
Sit & ruina, & ſit retributio:
Nil corde cæco porrò cernant,
Dorſa tremant ſua ſemper ipſis.
Prauis furorem funde minax tuum,
Et pelle uaſtato ex habitaculo,

Celſas eorum ut nullus ædeis
Poſt habitet: quia perſequuntur,
Quem uulneraſti tu Deus, & rei
Paßim recenſent mœſtitiam tui:
Extende eorum prauitatem,
Sintq́; tuæ pietatis orbi.
Nec cede guſtent iuſtitiam tuam,
Sed à piorum ſepara eos grege.
En pauper, adflictusq́; ego adſum:
Quæſo ſalus tua recreet me.
Tum te canam, te laudibus eueham
Grata nouello præ uitulo hoſtia.
Mœſti uidebunt, atq; plaudent:
Cor ſaliet tibi ſacra turba.
Nam pauperum audit uota gementium,
Suosq́; uinctos non Deus abijcit:
Hunc cœli, & omnis terra laudet,
Et mare, quæq́; in eis oberrant.
Siona quippe hic ſeruat, & extruit
Vrbes Iehudæ, quiq́; timent Deum,
Semenq́; uenturum piorum,
Lecta phalanx habitabit illic.

ODE XXIX. Pſal. 70.

Deus in adiutorium meum, &c.

QVa liberes me, quære uiam Deus,
Opemq́; mittens accelera mihi,

Confunde quotquot me laborant
Perpetua ſpoliare uita.
Cedant retrorſum, ac erubeant, mihi
Quotquot precantur triſte malū & fugam,
Digno coacti da capeſſant
Opprobrio, mihi qui iacenti
Euge euge clamant. aſt hilares canant
De te fideles iugiter, & Deus
Magni fit, illi fac loquantur,
Sancta quibus tua uerba cordi.
Ego autem egens, & ſpiritualium
Pauper bonorum ſum, fer opem Deus:
Tu liberator, tu patronus
Es meus, obſecro ne moreris.

ODE XXX. Pſal. 71.

In te Domine ſperaui, &c.

TE ſpes fixa pater mihi:
Ne quæſo erubeam, ſemper at eruar;
Tectus iuſticia tua.
Pronaq; accipiens aure preces meas,
Feſtino fer opem gradu,
Munitumq; mihi ſis habitaculum,
Quò ſemper fugiam tibi
Sum curæ genitor: nam petra & arx mea es.
Tu defende Deus meus
Sectæ me reprobæ de uiolentia.

Expe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Expectatio tu Deus,
Et ſpes à teneris unguibus es mea,
À materno utero tuis
Nitor ſubſidijs, immò opera tua
Phœbi ad lumina prodij,
De te laus canitur perpetuò mihi.
Multis prodigij uice
Sum factus, tamen & ſpes mihi tu Deus
Robuſtiſsima permanes:
Laudes aſsiduè da moduler tuas.
Ac ne proijce tempore
Quæſo me ſenij, & uiribus aridum
Fractis linquere ne uelis.
Namq; hoſtes, animæ ponere qui ſimul
Quærunt inſidias meæ,
Nunc aiunt; Semel hunc deſeruit Deus,
Nunc comprehendite, nunc eum
Letho tradite: nam nullus eum iuuat.
À me tu Deus obſecro
Ne diſcede procul, ſed propera mihi
Speratum auxilium ferens.
Hoſtes erubeant, atq; cadant mei,
Qui uitæ immeriti meæ
Quærunt exitium, mîq; uolunt malè.
Sed ſpe pergam ego uiuida,
Semper teq; nouis laudibus efferam.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Singulis ore meo tuam
Pandam iuſtitiam lucibus ô Deus:
Seruantemq́; manum tuam,
Gaudens innumeris obſequijs tuis.
Fungar munere prægraui,
Te fretus Deus, & iuſtitiæ tuæ
Solius recolam, tuo
Me flatu erudijſti à puero rudem,
Et mirabilem adhuc tuam
Paßim narro manum. ſed neq; deſere
Iam canum ſenio pater,
Verùm parce mihi paululum, & omnibus
Decantem ſine poſteris
Dextræ mira tuæ, nempe potentiam,
Nec non iuſtitiam tuam.
Geſta excelſa patras, quis tibi par Deus?
Dura iam cruce me premis:
At mox triſti humilem ceu nece ſolueris,
Augebis mihi gloriam,
Et uerſa facie me recreaueris.
Tunc molli mihi pectine
Pſalletur tua dux optime ueritas,
Exultantibus inſuper
Te pangam labijs, atq; anima tuo
Seruata officio, Deus.
Tunc & lingua mea hæc iuſticiam tuam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Noctes atq; dies canet.
Confundentur enim qui malè mî uolunt.

ODE XXXI. Pſal. 72.

Deus iudicium tuum regi da, &c.

REgem iudicijs inſtrue rex tuis,
Regis progeniem iuſtitia tua:
Iuſtoq; ore gubernet,
Et prudente tuum gregem.
Pax è monte fluat pauperibus tuis,
Colles iuſticiam fructiferi ferant:
Preſſos erigat ipſe,
Obſiſtatq; prementibus.
Mota hinc progenies poſtera te colet,
Sol & luna ſolo dum radios dabunt.
Ceu pratum irrigat imber,
Vel ros, hic ita ſubditos.
Illo floruerit plebs tua principe,
Illo pacis erit ſub duce copia:
Totum extendet in orbem
Hic rex imperium ſuum.
Seſe ſubijcient Aethiopes ei,
Supplex hoſtis erit: quin maris hunc petent
Reges, dona ferentes,
Reges hunc Arabum, & Sabæ.
Supplex omnis erit rex ei, & omnibus
Regnabit populis is, quia pauperes

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Ad ſe uociferantes,
Spretosq́; omnibus audiet.
Parcet pauperibus, nec facilè opprimet
Contritorum animas: ſoluet eos dolo,
Vſuráq; cruorem
Permagni faciet pium.
Hinc uiuenti Arabes dona ferent ei,
Atq; eius memores uſq; petent patrem
Omni tempore, & illum
Grato carmine concinent.
Per montes, ueluti per Libanum arbores,
Vento mota ſonum larga dabit ſeges:
Florebuntq́; fideles,
Tanquam gramen, in urbibus.
Regis nomen erit perpetuum, & ſolum
Cum Phœbi radijs ibit ad ultimum:
Eius nomine gentes
Inſignes recipit Deus.
Hunc pſallent igitur carmine debito:
Laudandus Dominus rex populi pij,
Qui magnalia ſolus,
Et miranda ſuis facit.
Eius magnificum ſemper ab omnibus
Cantandum eſt populis nomen, & ipſius
Omnis terra replenda eſt
Maieſtatis: Amen, Amen.

Finis libri ſecundi.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

CARMINVM DAVIDICORVM LIber Tertius.

ODE I. *Pſal.73.*

Quàm bonus Iſrael Deus.

VEre benignus Chriſtigenûm
chorum,
Puroq́ ductos corde regit
Deus,
Ipſosq́ tandem iunget aſtris
A reprobo grege liberatos.
Atqui beata ſorte uidens frui
Sectam impiorum, ſermè ego tædio
Ingente motus, linquo iuſtos,
Cumq́ malis tua iuſſa ſperno.
Nam perſecutor nullus eos premit,
Ponuntq́ natis firma palatia,
Lætantur ignari doloris,
Dum pia ſub cruce turba luget.
Hinc, torque tanquam, cingit eos tumor,
Furtimq́ prædam ferre ſtudent ſibi,
Factiq́ dites alta ſpectant,
Perficiunt ſua cogitata.
Iuſtos trucidant, & uiolentiam
Prauè loquuntur: ceu ſua cœlitùs
Dant iuſſa, blaſphemo laceſſunt

Ore polos, humilesq́ terras.
Ergo fideles huc abeunt quoq;
Hos inſecuti, fit bene mox eis,
Aiuntq́: An excelſus uidere
Hæc genitor queat acta noſtra?
En hi profani perpetuæ ſuum
In pacis æuum lumine tranſigunt,
Magniq́ fiunt: ergo purum
Fruſtra equidem mihi quæro pectus,
Iuſtasq́ palmas: fruſtra equidem die
Flagellor omni, maneq́ ſingulo
Caſtigor. Hæc ſub mente uoluens,
Chriſte tuum propè linquo cœtum.
Huiusq́ fruſtra difficilem rei
Indago cauſam, dum ſubitò Dei
Sacro eruditus uerbo, eorum
Interitum uideo imminentem.
In lubrico quàm ſunt poſiti loco?
Sæuoq́ pronos deijcis impetu?
Quàm ſternis incautos repentè?
Quàm pereunt ſubito pauore?
Vt excitati ſomnia, ſic Deus
Vanas eorum perdis imagines:
Namq; acre factum cor piorum,
Et mea uiſcera turbulenta:
Atq; ipſe ſtultus, nilq́ ſciens eram,

Brutæq́

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Brutaq́; coram te pecudis modo:
Quum tu tamen mî fidus eſſes,
Adq́; meam graderere dextram.
Tu me guberna conſilio tuo,
Tuaq́; tectum ſuſcipe gloria:
Quem terra, quem cœlum placentem
Te dederis mihi præter unum?
Amore totus deficio tui:
Tu petra cordi, parsq́; meo Deus
Aeterna. ſtat ſpem figere te mihi,
Abs teq́; nunquam ſeparari,
Ac tua cuncta referre geſta.

ODE II. Pſal. 74.

Vt quid Deus repuliſti, &c.

CVr tuam conſtante Deus furore
Abijcis gentem? tibi quanta quondam,
Quamq́; purgati fuerimus aula
Grata memento.

Sis pius nobis, properanter autem
Contere inſulſos, tua templa quotquot
Polluunt ſacris atheis, ſuoq́;
Pectore natis.

Nunc enim preſsis ouibus triumphant,
Atq; ut in ſylua furit, & bipenni
Cuncta frondator ferit, hoc tua orbant
Atria pacto.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Polluunt ædem tibi conſecratam,
Dantq́ Vulcano: Semel opprimamus,
Inquiunt, iuſtos: tua tecta flammis
Inclyta mandant.
Cernimus nuſquam tua pura ſacra,
Rectaq́ haud ullus documenta uates
Tradit: æternæ uia ueritatis
Cognita nulli.
Quò probro affectos, Deus, uſq; linquet
Nos furens mundus, reprobusq́ cœtus?
Quò tuum ſpernet ferus uſq; nomen
Turpiter hoſtis?
Cur tuo dextram gremio recondis?
Surge puni, & tolle malos: ab orbe
Condito, rex tu meus ès, ſalusq́
Vera piorum.
Te, uado obuerſo, mare fugit olim,
Robori cedens tuo: ubi dracones,
Praua nimirum, periere merſi
Gurgite, turba.
Ad tuam grandis Leuiathan iram,
Ductor Aegypti perijt ſub undis,
Arida hincfactus populo colenti
Littora præda.
Ad tuum iuſſum dedit icta largum
Dura torrentem petra. nónne ſacrum &

Iordanem ſiccas fluuium, facisq́;
Tranſitum amicis?
Et dies, & nox tibi paret: autor
Lunæ es, & Phœbi, & maris, atq; terræ:
Quin hyems, æſtasq́; tibi creanti
Grata miniſtrant.
Cerne, quod probrum tibi inurat hoſtis,
Et tuum ſpernat mala turba nomen:
Ne feris oro tua chara turtur
Portio cedat.
Ne tui afflicti tibi Chriſte ſemper
Excidant, pacti memor eſto priſci:
Namq; repleta eſt tenebris, uirisq́;
Terra profanis.
Pauperes, preßiq́; caue rubeſcant,
Sed tibi lætos modulentur hymnos,
Surge quò forti grauis ultor ore
Straueris hoſtem.
Sis memor noſtri opprobrij, grauesq́; &
Hoſtium uoces reprimas tuorum, &
Perſecutorum trucium ſonoros
Tolle cachinnos.

ODE III. Pſal. 75.

Confitebor tibi Deus.

TE concinemus perpetuò Deus,
Pijs propenſum nomen adeſt tuum:

Hinc

Hinc & recenſent liberati
Tabifico tua mira luctu.
Quando ſtatutum tempus erit, bonum
Contra prophanos iudicium dabo:
Terra, incolæq; eius liqueſcent,
Niſa mea ſtat enim illa dextra.
Dixi malignis, ne facerent malè,
Et corda in altum ne ſua tollerent,
Ceruice præfracta, loquentes:
Nulla grauis mouet orbe toto
Sontes Erinnys. quin Deus arbiter
Eſt ipſe rerum, cladibus hunc premet,
Hunc ſorte fœlici beabit:
Cuiq; ſuum tribuet brabæum.
Plenum falerni poculum habet manu
Rerum creator, datq; fidelibus:
Sed ſuget extremam doloris
Turba, bibetq; ſuperba fecem.
Ego at docebo iugiter, et canam
Deo piorum, cornuaq; omnia
Frangam ſuperborum: aſt ubiq;
Vincet, eritq; in honore iuſtus.

ODE IIII. *Pſal.76.*

Notus in Iudæa Deus eſt.

NOtus in cœtu Deus eſt piorum,
Magnum in Iſrael quoq; nomen eius,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Et ſibi legit Solymis in arce
Tecta Syonis.
Fregit hinc enſem, & clypeum, & ſagittas
Arcui iniectas, trucis arma Martis,
Monte in hoc fuſi ſpolijs potitus
Claruit hoſtis.
Cordis elati ſpoliantur omnes,
Seq́ deprendunt uacuos bonorum
Omnium, è ſomno uelut excitati
Diuite fortes.
Tu tuo perdis Deus in furore
Machinas, tu tu metuendus. an quis
Te, tuo coram queat, intonante,
Siſtere uultu?
Cœlitus iudex ades ad iuuandum
Pauperes, te terra timens quieſcet,
Te uir iratus canet, & furori
Parcet inani.
Vota uictori pia nuncupato
Plebs Deo, & largum dato munus illi,
Qui fugat reges, proceresq́ toto
Terret in orbe.

ODE V. Pſal. 77.

Voce mea ad Dominum clamaui, &c.

CLamaui ad Dominum ſæpius, & pias
Aures ille mihi præbuit, obrutus

Illum

Illum clade petiui,
Atq; extenſa fuit mihi
Semper nocte manus, mens renuit mea
Solamen: memor hinc numinis extuli
Vocem, ſumq; locutus,
Dum defecit anhelitus.
Turbato nimia mœſticia mihi
Dormire haud libuit, uerbaq; proloqui:
Priſca hinc ſecla reuoluo,
Dono proſpera numinis.
Et pridem ut cecini carmina, cogito,
Noctuq; hæc meditor pectore cum meo:
Nunquid ſæuiet ira
Nobis perpetuò Dei?
Vel nunquam pietas alma refecerit
Eius nos iterum ſermo'ne? deſijt?
Imò dextera morbum
Hunc ſanare Dei poteſt.
Nam priſci memini temporis, ac tua
Miranda acta lego præſtita partibus:
Nouit ſola fides te,
Quis par ſumme tibi Deûm?
Tu miranda facis, tu tua gentibus
Pandis geſta, manu tu populum tuum
Forti, ſemen Ioſeph,
Et patris redimis Iacob.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Voce urgente tua contremuit mare,
Vi motum inſolita conticuit fretum,
Lapſæ nubibus undæ
Aer perſonuit notis.
Luxerunt iaculi fulmina mox tui,
Cœlumq́ intonuit, fulgura territum
Sunt oſtenſa per orbem,
Turbatum tremuit ſolum.
Vndis in medijs facta tibi eſt uia,
Mergendis tamen haud cognita gentibus:
Per Moſem atq́ Aaronem
Duxti plebem, ut oues, tuam.

ODE VI. Pſal. 78.

Attende, &c.

INtende legi credula plebs meæ,
Hauriq́ uerbum corde meum tuo:
Arcana priſci ſcripta uatis
Geſta Dei memoranda pangam.
Patrum relatu nos ea nouimus,
Tradenda ſeris omnia poſteris,
Laudesq́ Chriſti ſunt canendæ,
Quæq́ ſtupenda operatus acta eſt.
Præcepit ipſe hoc patribus, ut ſuis
Diuina tradant facta nepotibus:
Ipſiq́ dein ſtirpi ſuorum
Commemorent ea poſterorum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Quo certam in uno ſpem ſtatuant Deo,
Nunquamq́ miranda illius impiè
Labantur obliti, ſed eius
Aſſiduè pia iuſſa ſeruent.
Ne more patrum ſint genus impium,
Rebelle, prauo pectore, reprobum,
Et prorſus intractabile, atq;
Dulce iugum Domini recuſans.
Vt Ephraimi bella ſciens tribus
Tergum dederunt, quòd Domini manum,
Et fœdus obliti, ſuperbè
Voce Dei renuere duci.
Aegypti in ora multa quidem Deus
Oſtendit olim ſigna parentibus:
Diuiſit undas, ut ualerent
Sicco alacres pede permeare.
Et duxit illos nube die fouens,
Lucente noctu lampade: de petra
In uaſta eremo flumen ingens
Elicuit, placitaq́ laſſos
Refecit unda. non tamen hîc ei,
Peccare prauo pectore deſinunt,
Sed prouocarunt illum ad iram,
Quando cibum ſibi poſtularunt,
Sic murmurantes: Icta quidem petra
Volente lymphas euomuit Deo,

Sed

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Sed num potenter deſtitutis
Panem etiam dabit, atq; carnem?
Exarſit ira cuncta notans Deus
In gentem amatam, quandoquidem ſe ei
Non crediderunt, ſpemq́; nullam
Ipſius auxilio locarunt.
Cœlo recluſo manna tamen cibum,
Cœleſte frumentum, angelicumq́; eis
Panem pluebat, quo ualebant
Deficiens recreare corpus.
Commouit Euris inde furentibus
Ingente uirtute, aeream plagam,
Illisq́; gratæ in caſtra plebis
Impulit innumeras uolucres.
Securo ubi autem corde comederant,
Erantq́; lautis perfruiti cibis,
Plenoq́; uoto, pane cœli,
Carneq́; iam ſaturi uolucrum:
Conſtans repletos en ſubitò furor
Oppreſsit illos terribilis Dei,
Cœtuq́; lectam de recepto
Suſtulit è medio iuuentam.
Nec tanta duri pectoris ultio
Correxit illos, at reprobi manent:
Hinc auolarunt, ſicut umbra,
Et breuis hora, dies eorum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Puniti acerba clade, Dei quidem
Inquiſierunt ſubſidium, atq; eum
Solum redemptorem relictum
Eſſe ſibi memores fuerunt.
At blandientes ore, tamen Deo
Non attulerunt pectora, cor ei
Permanſit auerſum, neq; eius
Pollicitis ualuere niti.
Sed ipſe lenis crimina ſontibus
Remiſit, omneis nec malè perdidit,
Ingente bilem cum labore
Continuit, neq; pro rigore
Tractauit illos iuſticiæ: memor
Nudam eſſe carnem, luce & imagine
Caſſam priori, ſpiritumq́;,
Qui fugit haud rediturus unquam.
Vaſtis in aruis ô quoties ei
Mouere bilem? Sæpius illius
In iuſſa deliquere, miri
Vindicis immemores, patriſq́;.
Miracla quanquam grandia uiderant
Pridem bibentes Niliacas aquas,
Verſa in cruorem ſtagna, riuos
Iam ſitientibus haud amicos.
Muſcas uoraces miſerat hoſtium,
Turpesq́; ranas conditor in domos:

Frumentum eorum dulce brucho
Ceſſerat, & ſegetem locuſtæ.
Vaſtarat omnes grandine uineas,
Moros pruina, fulminibus pecus:
Et omne iumentum, quod uſquam
In Pharijs operatur agris.
Oſtendit iram læſus ibi ſuam,
Et per malignum punijt angelum
Prauos, & ex ardente bile,
Morte furens animas eorum
Conſtrinxit atra. primitias enim
Tam filiorum quàm pecudum, & ſimul
Frumentum in Aegypto profana
Depoſuit regione uictor.
At ſegregauit more ouium ſibi,
Duxitq́ lætos abſq́ metu ſuos
Per uaſta deſerti loca, hoſte
In pelago pereunte rubro.
Terram inde ſanctam fidus, & hunc ſuo
Montem apparatum brachio eis (procul
E ſede natali fugatis
Indigenis) dedit incolendum.
Sed nec fideli mente inibi Deo
Parêre curant: at ſolito patrum
De more temnunt, facti ut arcus,
Qui minitans retinet ſagittas.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Mouere lucis quatenus ethnicis,
Cultisq́ bilem ſculptilibus Deo,
Vnde ille gentem liberatam
Perpetua propè ſpreuit ira.
Certè requiri renuit in Silo
Poſthac ab ullis, immò ſuum & decus
Et robur, arcam ceßit hoſti,
At populum gladio immolandum
Abiecit, ignis fert iuuenes, carent
Hinc nuptiali carmine uirgines,
Ferro ſacerdotes necantur,
Sat uiduæ nequeunt maritos
Lugere cæſos. Tandem ut ab ebrio
Sopore ſurgens, ultor adeſt Deus,
Et punit hoſtes, auferuntq́
Opprobrium ſibi ſempiternum.
Hinc Ephraimi noluit in tribu
Seſe inuocantes conſtitui locum
Exaudiendi: ſed Iehudam
Colliculumq́ ſibi placentem
Legit Sionem, & ſacram inibi ſibi
Fundauit aulam, & perpetuam domum,
Charumq́ Dauidem uocauit,
Et patrio grege derelicto
Iußit fideles paſcere eum ſuos:
Qui pauit illos pectore ſimplice,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Et corde perſecto, ſupernè
Subſidium Domino ferente.

ODE VII. Pſal. 79.

Deus uenerunt gentes.

VEnêre gentes, ô Deus, in tuam
Hæreditatem, & templa tibi ſacra
Contaminarunt, inq́ aceruos
Conſtituere Ieruſalaim.
Cœli, piorum ſancta uolucribus,
Terræq́, prædam corpora, beſtijs
Liquere: fuderuntq́ eorum,
Sicut aquam, per agros cruorem.
Ipſiq́ noſtris opprobrium ſumus
Facti propinquis: quin & ab ethnicis,
Noſtris in urbibus, relictis
Ludimur, & digitis notamur.
Iratus an tu ſemper eris Deus?
Et nos, ut ignis, conficies grauis?
Iratus obſta neſcienti
Te populo, neq́ te precanti.
Nam deuorarunt hi populum tuum,
Eiusq́ uaſtarunt habitacula:
Sed quæſo noſtri ne labores
Eſſe memor ſceleris patrati.
Abſoluat autem nos tua lenitas,
Omnino fractos, & miſeros iuua,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Peccata delens noſtra, propter
Grande tuum Deus alme nomen.
Quare profanos dicere ſuſtines
Nuſquam eſſe, freti quo patimur, Deum?
Quin pande, quòd iuſtum cruorem
Cura ſiet tibi uindicare.
Te compeditorum & gemitus trahant,
Seruaq́, mors quos territat imminens,
Noſtrisq́ uicinis memento
Opprobrium dare maius illo,
Quo te notarunt. Nos populus tuus,
Vocemq́ doctæ paſtor oues tuam,
Te laude ſemper, dum per orbem
Sunt homines reliqui, uehemus.

ODE VIII. Pſal. 80.

Qui regis Iſrael, &c.

QVi paſcis Iſrel, atq; ut oues agis
Quouis Ioſeph: qui Cherubim incolis,
Auſculta, & appare benignus,
Teq́ tuis famulis potentem
Præſta, atq; nobis auxilio ueni:
Conuerte clemens nos Deus, & tuum
Oſtende nobis uultum amicum,
Tunc erimus penitus beati.
Quò uota ſpernes uſq; tui gregis,
Iratus Heros inclyte? ueſcimur

En luctuoſo pane, noſtris
Rixa ſumus poſiti propinquis,
Turbæq́ ſannis ludimur hoſticæ.
Conuerte tu nos ô Deus, ac tuum
Oſtende nobis uultum amicum,
Tunc erimus penitus beati.
Tu tranſtuliſti de Tane uineam,
Plantaſti & illam, gentibus in fugam
Verſis: locum illius repurgans,
Mell fluamq́ repleuit acta
Radice terram, montibus exhibet
Vmbras: pares ſunt aerijs cedris
Rami cius, Euphratemq́, & ipſum
Palmitibus mare tranſit altis.
Cur diſsipaſti maceriem illius
Iam, tradidiſtiq́ omnibus obuijs
Vindemiandam? Cur agreſtis
Illam aper & fera ſingularis
Vaſtauit? Huc huc omnipotens Deus
Redi, ac fauenti reſpice lumine
Nos ex Olympo, uineamq́
Mente tuam placida reuiſe.
Locumq́ uitis, quam tua dextera
Plantauit, inſtaura, ac tibi ſurculos,
Quos roboraſti. Nam furore
Preſſa tuo citò diſperibunt.

Succenſaq́ igni parcere neſcio.
Quin mitigatus nunc homines tua
Defende dextra, quos iuuare
Cura tibi fuit una ſemper.
Te Chriſte nullo deſerimus modo,
Pendemus à te, ſis placidus tuis,
Et redde uitam deſtitutis:
Tunc dabimus tibi uota læti.
O` fortis Heros, omnipotens Deus,
Reduc tibi nos, atq; hilarem tuum
Oſtende nobis quæſo uultum,
Tunc erimus penitus beati.

ODE IX. *Pſal. 81.*

Exultate Deo adiutori.

DE Deo, qui nos ope deſtitutos
Adiuuat ſemper, pia turba gaude,
Et lyram ad ſacram cane grata Chriſto
Dulce pœma.
At tuba, dum luna noua eſt, celebri
Buccina in feſto, quia ſic ſtatutum
Poſteris Iſrel, Dominoq́ rerum
Audio uiſum.
Iuſsit hoc nobis, Tane cum relicta
Iuimus, lingua modò barbara uſi:
Ipſe, ait, duro tua liberaui
Membra labore.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Me graue indignans onus inuocabas,
Ac tibi occurri latitans tonitru,
Teq́ aquas iuxta querulas rebellem
Eſſe probaui.
Plebs mea attento bibe uerba corde,
Quæ tibi ſacro cano certus ore:
O` tuam uerè mea ſi mouerent
Carmina mentem.
Ne recens abs te Deus inuocetur,
Nec peregrinum cole, præter unum,
Brachio qui te Pharijs potente
Duxit ab oris.
Ille ego adiutor tibi ſum, Deusq́:
Ora recludens tua me celebra,
Nec premes fruſtra: tibi nam benignus
Omnia fundam.
Deſpicit uerò mea gens monentem,
Cordeq́ it duro, ſui & inſecuta
Pectoris conſulta, meis reſiſtit
Impia iuſſis.
O` cohors me ſi mea niteretur,
Si mihi morem gereret, meumq́
Semper ad uerbum ſua uerteret ue-
ſtigia cauta:
Illius iam nunc ego punijſſem
Perſecutores, neq́ cœtus illi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Prauus horrenda miſeræ noceret
Amplius ira.
Immò eam ſemper Deus adiuuarem,
Pingue frumentum tribuens, & ipſa
De petra fundens oleum, ſimulq;
Dulcia mella.

ODE X. Pſal. 82.

Deus ſtetit in ſynagoga.

IN honeſta ſatraparum ſynagoga
Stetit ultor Deus, ut iudicet illos:
Quid iniquè ſceleroſos celebratis, quaſi iuſtos?
Ope caßis, uiduisq; eſte patroni:
Et egenos, tenuesq; à uiolentis
Releuate, & miſeros ac inopes iuſtificate.
Sed abhorrent pia cæci documenta,
Tremit ima hinc rea plagis humus: an non
Ego, dij uos, modò dixi, ſobolesq; alta nitentis:
Sed & ipſi, reprobûm uos quoq; fato,
Simul eſtis perituri: propera ipſe
Deus orbis moderator, tibi gens ſeruiet omnis.

ODE XI. Pſal. 83.

Deus quis ſimilis.

IN re ſumme tua ne taceas Deus.
Hoſtes ecce tui dant ſonitum, & caput
Extollunt, odium quotquot agit tui,
Aduerſus populum pium.

Contra

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Contra occulta uafro membra animo tua
Conſultant, & eos funditùs inquiunt
Perdamus, neq; ſit congnita poſtero
Seclo turba fidelium.
Te contra unanimes fœdere nexili (Gebal,
Surgunt Aedom, Amolec, Moab, Agar,
Ammon, & Peleſeth: quiq; habitant Tyrũ
Atq; Aſſur: iuuat hos ope,
Midianum ut Gedeon, fœmina Sizaram,
Iabinumq; ſimul ſtrauit aquam ſecus
Cyſon ut fierent ſtercus in Endore:
Sic his iam quoq; fac Deus.
Fato diſpereant effice Salmunæ,
Orebiq;, Seebq;, et Sebachæ duces
Illorum, Domini qui ſibi uendicant,
Inuaduntq; habitacula.
Ipſos uolue rotæ more Deusmeus,
Impulſamq;, fuga, ceu ſtipulam noto:
Tanquã flamma cremat ligna uorax, ita hos
Ira perſequitor tua.
Turbatoq; furens. cede ſuam probris
Occultent faciem, nomen ut hinc tuum
Inquirant memores, aut ſibi reprobi
Aeternum properent malum.
Condiſcantq; uel ex pernicie ſua,
Quod tu, quem colimus nos placita ad tua,

Sis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Sis rex altitonans, cuius & unius
Parent omnia nutui.

ODE XII. Pſal. 84.

Quàm dilecta tabernacula.

TEmplum uoce Deus tua
Sacratũ, ô mihi quàm fulget amabile?
Quantis atria me tua
Flammis exanimant? fertur hoc in Deum
Viuum cor ſimul, & caro:
Tectum ſuaue ſibi mens mea repperit,
Nidumq́; inſtar hirundinis,
Aras nempe tuas rex meus & Deus.
Fœlix ô ter, & amplius,
Cuicunq; æde tua Chriſte datur frui:
Quanquam lugeat ad breue
Tempus, dulce tamen pſallet adhuc tibi.
Fœlix, omnem etiam ſibi
Vno in te poſitam quiſquis opem putat,
Sanctoq́; aſsiduè tua
Duram ad tecta uiam pectore cogitat.
Tales quando perambulant
Fletus uallem, animo celſo, ut aquis eam
Fœcundant pluuijs: ſuaq́;
Ipſis prima Deus præmia ſufficit.
Hinc maioribus indies
Confirmati animum uiribus ad ſuum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

In cœleſti Ieruſalem
Tandem conſpicui peruenient Deum.
Summe exercituum Deus,
Audi quæſo preces, ac gemitus meos.
Protector meus unice,
Chriſtum cerne tuum. Nam melior dies
Sacris unus in atrijs
Millenis alijs: malo fores domus
Obſeruare tuæ infimus,
Quàm regnare olido conſimilis gregi.
Nam ſol, & clypeus, Deus
Iuſtorum, & decus eſt, gratiaq́, & ſalus.
O quàm fauſtus is eſt, Deus,
Te quiſquis placido pectore nititur.

ODE XIII. Pſal. 85.

Benedixiſti Domine terram tuam.

QVondam fauebas munificus tuis,
Tibiq́ captam reſtituens Deus
Gentem piorum, prauaq́ ultro
Geſta tuo populo remittens:
Tegensq́ eorum cuncta piacula,
Bilem premebas lethiferam tuam,
Et mitigabas, quo furore
Iure tonas pater in malignos.
Nobis benignus quæſo redi quoq́
Salus tuorum, nec tua nos premat

Vltrà

Vltrà ira, num ſemper ſacratum
In populum tibi fulminabis?
Num contra amicos infremet omnibus
Tua ira ſeclis? Té ne tuus chorus
Noſtrum redemptorem, refecti
Ad citharam, Deus, haud canemus?
Oſtende nobis omnipotens tuam
Rex lenitatem, iamq; fidelibus
Largire promiſſum patronum,
Qui gelida nece ſoluat ipſos.
Quin, quid loquaris tu Deus, audiam:
Pacem loqueris namq; meram pijs,
Quo mox tibi, abiecta paterna
Stultitia, ueniant miniſtri.
Certum eſt, ſupremi proxima quòd ſalus
Dei ſit illis, qui ſcelerum pauent
Mucrone mentem ſauciati,
Cordeq; eum trepidante quærunt.
Quò noſtra in ora ſummum habitet decus,
Sibi obuiet da mutuò largitas,
Et ueritas diuina, quin &
Iuſticiæ nitor, atq; pacis
Vnà reſurgat, uera fides loca
Per cuncta creſcat: Iuſticiæ pij
Cœleſti amictu ueſtiantur,
Cuncta Deus bona largiatur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Sic noſtra fructum terra det & ſuum,
Sic ſanctitatem pectore iam nouo
Veram ſequamur, perq́ pulchra
Iuſticiæ gradiamur acta.

ODE XIIII. Pſal. 86.

Inclina Domine aurem.

DEſertum ac inopem reſpice me Deus,
Accinctamq́ tuæ ſerua animam uiæ.
Feſtinaq́ iuuare
Innixum famulum tibi.
Quando quottidie te pater inuoco,
Sublimemq́ animum ſiſto tibi meum,
Clemens eſto precanti,
Seruumq́ exhilara tuum.
Nam largus, facilisq́ es ueniæ Deus,
Et cunctis pietas ſupplicibus tua
Prompta eſt, oro querelas,
Et uota accipias mea.
Crux me cum premit hæc ſæua, tibi meos
Effundo gemitus: nam pius es Deus,
Nemoq́ acta reponet
E' diuis tua par tibi.
Hinc omnis properans, quam tua dextera
Finxit, gens, humilis te petet, ac tuum
Nomen glorificabit.
Nam tu magnus, & inclytus,

Tu ſolus Deus es. Mî tua ueritas
Sit nota, inq́ uiam dirige me tuam,
Sanctumq́ inde timorem
Cordi quæſo meo tui.
Te feruente canam pectore, te Deus
Semper laude ueham. nam tua mititas
Ingens, eſt mihi prona,
Meq́ imo barathro erues.
Me contra miſerum praua ruit cohors,
Inquiritq́ neci turba potentium,
Nec te prouido acerbum
Horret pectore iudicem.
Tu uerò es pius, & longanimis Deus.
Veraxq́, huc ades, & pande mihi tuum
Clemens obſecro robur,
Et ſerua famulum tuum.
Signo ingente proba quòd faueas mihi,
Hoſtes ut uideant ac rubeant mei,
Cum ſolere iacentem
Tu me ſubſidio iuuans.

ODE XV. Pſal. 87.
Fundamenta eius in montibus.

NOn ſic ulla Deus loca,
Vt portas auida mente flagrat Sion:
Vrbs electa ſacris illa uiget montibus inſita.
Ô prægrata Dei domus,

Tu cantata nites uatibus omnibus,
Qui præclara pijs fata canunt pectoribus tua.
Memphitæ, & Babylonij
Pro notis mihi erunt, & Pleſeth, & Tyrus
Cum gente Aethiopũ, hîc uera ſibi dogmata
Tum cantabitur in Sion, (colligent.
Quòd multis populis aucta ſit ethnicis,
Et fundarit eam cunctipotens perpetuã Deus.
Deſcriptos etiam Deus
Cenſebit populos, quotquot ad edita
Illius properant mœnia, dux ipſe ubi natus eſt.
Hinc, ſi carmine Muſico,
Si quicquam potero tibia amabili, (mea.
Omnis uena tibi, ô chara Dei ſeruiet urbs,

ODE XVI. Pſal. 88.

Domine Deus ſalutis meæ.

ME dies noctesq́, Deus, precante,
Chare ſeruator moueare tandem,
Et meos audi gemitus, meumq́
Perfice uotum.
Mens enim dura ſaturata clade eſt,
Vitaq́ inferno mea deſtinatur:
Sum uelut iamiam tumulandi, & omnis
Roboris orbi:
Liber à curis, quaſi uulnerati, &
Putrido illati tumulo, exciderunt

Qui tuæ menti, ac tua quos iuuare
Dextra recuſat.
Me lacu ponis Deus in profundo,
Et nigris mergis tenebris, & ira
Turbat afflictum tua me, tuisq́;
Impetor undis.
En tuo nutu ueluti leproſum
Me mei paßim fugiunt propinqui:
Opprimor, nec quî ſuperare tantos
Diſco, labores.
Iam meus putret lachrymis ocellus,
Iugiter panſis tibi clamo palmis:
Mortuis ne edes tua mira? uitæ
Redditi an illi
Te canent? nunquid ſtrepet in ſepulchro
Lenitas atro tua, ueritasq́;?
Nunquid in cæcis tua perſonabunt
Acta tenebris?
Quin tibi ſupplex ego ſum, precorq́;
Manè te ſummo: mihi cur egeno
Durus auertis Deus alme uultum,
Meq́; repellis?
Extiti à primis ego pauper annis,
Et tuli horrorem necis, & iacentem
Ira me fregit tua, me pauore
Exanimaſti.

Inſtar

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Inſtar undarum, pauor ille cor hoc
Obruit ſæuus, fugiunt amici
Me procul, noti tenebris operti
Sunt mihi denſis.

ODE XVII. Pſal. 89.

Miſericordiam Domini.

Cantabo ſemper gratuitum Dei
In me fauorem iugiter, & tuam
Aeuo futuro ueritatem
Fide meo pater ore pangam.
Nam ſemper, aio, firma benignitas,
Et fixa cœlo ſtat tua ueritas:
Quod pactus electo Dauidi
Es famulo, ſine fine ſtabit
Fœdus: nec eius, tempore deſinet
Vllo, propago, nec folium cadet:
Te celſus æther, te piorum
Plebs canet ô genitor fidelem.
Quem non deorum tu ſuperaueris
Denſo piorum fortis in agmine?
Terrensq́ circum te uidentes?
Quis ſimilis tibi ueritatem
Circumferenti? tu Dominus maris
Es, tuq́ ſurdis fluctibus imperas,
Motosq́ componis tumultus.
Non'ne tua malè fida quondam,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Ceu uulnerati, fracta Raab manu eſt?
Debetur axis, terraq́ʒ, rex, tibi:
Tu quicquid immenſo extat orbe,
Ludibrium tibi condidiſti.
Spirare donas tu Boreæ & Noto,
Occaſum & ortum lætificas tuo
Verbo, tuo uis in lacerto eſt,
Alta tua eſt manus atqʒ fortis.
In æquitate & iudicio tua
Res roboratur. te pia comitas
Præcedit, & lux ueritatis.
Docta Deum celebrare fœlix
Gens eſt, regitur luce pater tua,
Totumq́ʒ pſallet læta tibi diem,
Seſeq́ʒ ſolabuntur in te
Iuſtificante, tibi ſilentes.
Tu fortitudo, tu Deus es pijs,
Tu cuncta nobis das placidus bona:
Te namqʒ ſcuto, te patrono
Vtimur, ô Deus, in periclis.
Tu uerba promis uatibus entheis,
Chriſtoq́ʒ regi, dicis, opem feram,
Ipſumq́ʒ ſelectum uocaui
E rudium numero uirorum.
Fidumq́ʒ Dauidem hunc mihi repperi,
Sanctoq́ʒ inunxi mox oleo meo:

Hac

Hac adiuuabo deſtitutum,
Hac releuabo manu iacentem.
Non hoſtis illum, non reprobi opprimient,
Sed concidentes ad ſaciem illius
Omnes peribunt: candor autem,
Atq; fides mea ſtabit illi.
Sublimis ibit nomine rex meo,
Ipſumq́; uictorem ad mare dirigam,
Flumenq́: me tunc inuocabit,
O` genitor Deus, & ſalutis
Autor meæ tu: protinus illum ego
Sublimiorem regibus efferam,
Et candor æternum atq; pacti
Firma fides mea ſtabit illi.
Seruabo ſemen iugiter illius,
Eiusq́; regnum ſole diutius.
Si peccet illius propago,
Lege mea temerè relicta:
Si non regatur iudicijs meis,
Si iuſſa linquat, ſi ſacra polluat,
Delicta uirgis expiabo
Illius, & male facta plagis.
At non fauorem ſubtraham eis meum,
Non conſtitutum pactum erit irritum,
Verax manebo, permemorq́;
Fœderis his poſiti labellis.

Dauidi ſancta iuro ſemel fide:
Nec ſemen eius, nec ſolium occidet.
Id ſol, id æterno recurſu
Certa probet tibi luna teſtis.
Nunc ſpernis autem læſus, & abijcis
Hunc penè regem, nunc famulo tuo
Promiſſa ceu mutatus aufers,
Eius humo iacis & coronam.
Omnem refringis maceriem illius,
Et ſtructa ab illo mœnia deſtruis,
Quiuis uiator nudat illum,
Ludibrium quoq; fit propinquis.
Das proſperentur quotquot eum premunt,
Ac eius hoſtes lætitia beas:
Ipſius obtundis mucronem,
Nec duce te ſua tractat arma.
Totum immò ſplendorem obruis illius,
Regnumq; uaſtas, inſuper & dies
Eius iuuentæ congruentes
Abbreuias, operisq; probro
Illum perenni. Num Deus abditus,
Feruens & ira ſemper eris mihi
Bullæ caducæ? nunquid ergo
Fruſtra hominum genus omne condis?
Vir fortis an ſeſe à nece liberet?
An uitet atrum quis tumuli locum?

Quò

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Quò priſca tandem ſe recepit
Iam pietas tua, quam fidelis
Grato es Dauidi pollicitus Deus?
Quin cerne, quàm ſint opprobrio tui
Cunctis miniſtri. turba cur me,
Curq́; tui male fida Chriſti
Veſtigia urget? ſed nihilominus
Mihi caneris tempus in ultimum
Clemens redemptor, quanquam opaca
Nube latebis. Amen, & Amen.

Finis libri tertij.

CARMINVM DAVIDICORVM LIber Quartus.

ODE I. Pſal. 90.

Dom ine refugium factus es.

NObis effugium Deus
Mundi à principio primo es ad ultimum
Caſum, uincis origine
Montes atq; ſolum: quin es originis
Ac finis Deus inſcius.
At paulatim homines, quotquot anhelitum
Ducunt, conteris in nihil,

Ac ſubiungis ijs progeniem nouam.
Nam, ſi comparo ſeculo
Annos mille tuo, ceu Deus unica,
Iamq́ elapſa dies erunt,
Quarta & noctis uti pars, breue cum thoro
Licto munus obit uigil.
Mox abſumis eos, uanus eunt ſopor:
Et, qui ſole uigens nouo
Flos, intrante at aquas flaccidus interit.
Nam teterrima iugiter
Noſtra errata notans infremis. hinc Deus
Ira deficimus tua,
Hinc dicto citius noſtri abeunt dies:
Luſtra hinc uix quatordecim,
Aut certè ſedecim uiuimus, in quibus
Aetas clade uel optima
Plena eſt, & fugit, & nos adigit neci.
Quis uim paupere ſentiens
Iræ corde tuæ non paueat reus?
Da cenſere ita nos dies
Noſtros, tum dabimus cor ſapientiæ.
Oplacare tuis Deus,
Et clemens famulis eſto, benignitas
Nos mane exaturet tua:
Tum ſemper memores te modulabimur.
O` nos exhilara diu

Preſſos,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Preſſos, & uarijs cladibus obrutos.
Conſtet, quòd famulos iuues,
Natos glorifices omnipotens tuos,
Et ſplendor Domini Dei
Noſtri ritè ſuper nos age luceat:
Et, quæ facta patrabimus,
Noſtras illa pater dirige per manus.

ODE II. Pſal. 91.

Qui habitat in adiutorio.

QVisquis in Chriſto pius acquieſcit,
Is Dei ſecurus aget ſub umbra:
Te meum, quo fido, parens aſylum,
Spem'q; uocabo.
Ille uenantum tibi rete panſum
Fregerit, te peſte ſimul nociua
Ille tutari poterit, ſuis'q;
Condere pennis.
Tutus hinc eius latitabis alis,
Cum Deum linguæ tibi cogitabis
Eſſe ueracis, uelutiq; ſcuto
Numine fides.
Haud tremes noctem, neq; tu ſagittas
Per diem emiſſas, nec ab in tenebris
Peſte graſſanti, neq; diro ab hoſte
Luce pauebis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Ad latus cum mille tuum necati
Dexteri, ter mille cadent ſiniſtri,
Tum tibi armato ſatis haud nocebunt
Vlla pericla.
Sed malos acti ſceleris uidebis
Mox Deo pœnas dare, tutus ipſe,
Cum tibi ſemper Dominus uocetur
Speſq; ſaluſq;.
Cuius, ut celſus thronus eſt, ita illum
Nulla pertingent mala, nulla uindex
Plaga ſublimes aliquando ſcandet
Illius arces.
Hic ſuis mandata dedit miniſtris
Te ſuper, te ritè tuam per omnem
Vt uiam ducant, manibusq; præter
Scandala portent.
Non tuas plantas ad acuta fortè
Saxa collides: ſuper & leonem, &
Aſpidem, & ſæuos gradieris urſos,
Atq; dracones.
Cum mihi tete dederis alendum,
Et meum nomen cruce ſub moleſta
Noueris, te paſcam ego perlibenter,
Atq; tuebor.
Audiam, quando mihi ſupplicabis:
Immò te, tanquam tribulatione

Obru-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Obrutus tecum, citò liberabo, &
Glorificabo.
Plurimis annis quoq; te beabo,
Cumq; fœlici ſtatuam uidendum
Cœlitum turba, ſimul efferendum
Carmine fratrum.

ODE III. *Pſal. 92.*

Bonum eſt confiteri Domino.

TE laudare decet pater,
Atq; efferre tuum nomen amabile,
Te lucente pium die,
Veracem in tenebris pectoris horridis,
Aut ſacram iuuat ad lyram,
Aut acri potius dicere tibia.
Nam ualde exhilaror Deus,
Miranda intueor facta ſimul tua,
Quæ prægrata fidelibus
Fulgent: aſt oculis àbdita gentium,
Atq; incognita reprobis
Horrent, moroſophi ſe licet efferant.
Fluxi graminis in modum,
Carnis iudicio magnopere impij
Florent, ut ſubitò Stygi
Succedant, fluuio non remeabili.
Atqui perpetuò manes
Tu præcelſe parens, unde cadet quidem

Gens

Gens infeſta tibi, & madent
Quotquot flagitijs, imperium at meum
Creſcet mirificè indies.
Et cor ipſe tuo, membraq́ʒ ſpiritu
Flagrabo: at tibi qui nocent
Hoſtes, coram hilari me premet ultio.
Verùm, ut palma, fidelium
Florebit chorus, & multiplicabitur.
Cedri ſicut in arduo
Denſantur Libani uertice: ſic pij,
Quos plantat pater, in ſacra
Vernant æde ſua, iamq́ʒ licet putes
Eſſe infrugiferos, tamen
Fructum edent ſenij denuò tempore:
Pingues & uirides erunt
Rurſum, prompti etiam pſallere publicis
Aequum carminibus Deum,
Qui petra eſt mea, qui flagitio caret.

ODE IIII. Pſal. 93.

Dominus regnabit, &c.

D*Eus inclyta refulgens*
Dominatur ecce ueſte,
Simul armat & poteſtas
Grandis eũ, toto animans orbe pios gubernat.
Neqʒ quis nocebit illis,
Quia durat omne in æuum,

Neqʒ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Neq; diſsipatur unquam *(nis.*
Celſe tuus Chriſte thronus: tu Deus es peren-
Fluuij ſuam tumentes
Deus extulere uocem:
Fluuij minante fluctus
Cum ſtrepitu, uiq́; ſuos horribili leuarunt.
Neq; copioſa tantum
Strepitum excitarit unda:
Deus ægrè ut altus illum *(nè.*
Sedet, aquæ cunctipotens uim reprimit ſuper
Tua uerba, quæ profaris,
Mihi certa Chriſte lucent:
Tua ſanctitate uerò
Eximia membra decet perpetuò nitēre.

ODE V. Pſal. 94.

Deus ultionum Dominus, &c.

VLtor ſurge mali conſpicuus gregis,
O' iudex Deus, & redde tumentibus
Pacto digna ſuo præmia: quò mali
Pſallent uſq; ferociter?
Et faſtum tumido gutture proferent?
Mirabuntur item ſeſe operarij
Praui? quando tuo uim populo inſerunt,
Hæredesq́; premunt tuos?
Occidunt uiduas, nec minus aduenas,
Pupillosq́; & an hæc cœlitùs, inquiunt,

Horum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Horum quos premimus, Chriſtigenûm Deus
Prono lumine conſpicit?
Quàm pluſquàm ſtolidi reſipitis uiri.
An' non audierit conditor aurium?
An' non conſpiciat, lumina qui potens
Nobis fixit egentibus?
Non uos arguerit, qui populos docet
Omneis, quiq; homini dat ſapientiam?
Senſa occulta Deus pectoris inſpicit
Noſtri, uanaq; iudicat.
Hinc fœlix nimium, quem Deus erudis,
Tu quem lege tua cœlitùs imbuis:
Securum à malo eum tempore feceris,
Dum cæco foditur lacus.
Tu nempe haud populum reijcies tuum,
Prouentumq; tuum non citò deſeres.
Hic ad iuſticiam cauſa redit bona,
Et ſectantur eam pij.
Quis contra reprobos martia ſpiritus
Pro me bella geret? quis mihi opem feret?
Certè tute inopini tuleris opem,
Orco mox rapiar nigro.
At cum ceu dubius pendeo, me tua
Suſtentat pietas: ut rapidæ modo
Turbabant animum curæ, ita lenitas
Me nunc exhilarat tua.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Nunquid quando tibi conſociabitur
Prauorum ſolium? cum, quaſi lex, eos
Cogat Chriſtigenas perſequi, & improbè
Iuſtum fundere ſanguinem.
Aſt heîc auxilio Chriſtus erit mihi,
Ceu petraq́; Deo nitar: is ob grauem
Vltor nequiciam conteret impios,
Noſter conteret hos Deus.

ODE VI. Pſal. 95.

Venite exultemus, &c.

HOrſum fideles munificum Deum
Pſallamus una, & dulce ſimul melos
Noſtro redemptori canamus,
Laude ſua decoremus illum.
Eſt quippe præſtans hic Deus, & deos
Excedit omnes. hic humiles Deus
Valles, hic excelſos creauit,
Et patria regit arte montes.
Terras hic omnes, hic liquidas maris
Effinxit undas. Huc agite ocyus
Noſtrum creatorem fideles
Corde humili ſimul inuocemus.
Hic ecce nobis eſt Deus, in ſuo
Nos paſcit agro, nos gregem habet ſuum.
Paſtoris huius gratum ouile,
Si tamen os hodie ſequemur.

His

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Hic ueſtra, clamat, pectora ne mihi
Pugnent, ut olim litigij die,
Sæuæq; contradictionis
Tempore, cum tererent eremum
Veſtri parentes. Namq; ibi me genus
Tentauit intractabile, quo ſati
Vos eſtis: illic me probauit,
Inſuper & mea geſta uidit.
Per octo luſtra hanc progeniem tuli,
Et cordis iſti ſunt populus uagi,
Cæciq́; dixi: quàm uoluntas
Pectoribus mea ſancta prauis
Aegrè allubeſcit? concitus hinc mea
Iuraui in ira talibus impijs,
Quòd non adibunt cum piorum
Gente meam requiem beati.

ODE VII. Pſal. 96.

Cantate Domino canticum.

CAnticum cantate nouum patrono,
Omnis & Chriſto modulare tellus,
Sedulò illius refer imperitis
Grata ſalutem.
Gloriam narrate Dei prophanis,
Miræq́; illius canite acta cunctis
Gentibus: nam magnus adeſt, & omni
Dignus honore.

Præq;

Præq; dijs cunctis metuendus. illi
Barbaris culti, mera uanitas eſt:
At polum & ſtellas habili creauit
Arte Iehoua.
Iſte formoſus nitet, iſte fortis
In ſuo templo: properate gentes,
Gloriam ueſtro meritam, ac trophæum
Tradere regi.
Munere aſſumpto petite eius aulam,
Noſter & uobis Deus inuocetur,
Immò iam ſolum colat omnis illum
Subdita tellus.
Ethnicis regnare Deum referte,
Qui ſolum firmabit, in æquitate
Iudicans gentes. Polus, atq; tellus,
Et mare, & agri,
Cunctaq; exultent in ijs uidenda,
Cuncta ſylueſtris canat arbor, ille
Quando mortales regere appropinquat
Iure, fideq;.

ODE VIII. Pſal. 97.
Dominus regnauit, &c.

R*Egnum occupauit Chriſtus, eum canat*
Gauiſa tellus omnis, & inſulæ:
Nube ac tenebris eſt opertus,
Iuſtificat tamen, eruditq;

Suos fideles. Ignis eum præit,
Omnesq́; circum deuorat impios:
Panduntur eius fulgura orbi
Lege, uidet, pauitatq́; terra
Sibi latentum conſcia ſordium.
Hinc montium æqui uerticibus modo,
Ceu cera flammæ admota, cedunt,
Iudicio rigidi Tonantis.
Verùm paratam iuſticiam pijs
Alti recenſent eius Apoſtoli:
Hinc glorioſam lenitatem
Iam populus uidet omnis eius.
Quicunq; uerò ſculptilibus litat,
Dijsq́; fidit cæcus inanibus,
Illi repugnans, erubeſcet
Iudicibus Dominum ſecutis.
Audiuit iſtos credula plebs Sion
Euangeliſtas, læticiam ſimul
Hauſit fideli mente magnam,
Iudicia ob tua ſumme regum.
Vos quotquot almum diligitis Deum,
Et rege noſtro fiditis, impios
Odite cauti ſemper actus,
Et pauidi Dominum ſeuerum
Audite: ſanctos ille beat ſuos,
Ipſosq́; praua liberat à manu,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Lucemq́ iuſtis, & perennem
Læticiam pauidis miniſtrat.
Vos uos alacri munificum Deum
Cantate iuſti pectore, uos pij
Haud excidentem ritè ueſtris
Pectoribus celebrate Chriſtum.

ODE IX. Pſal. 98.

Cantate Domino canticum nouum.

CAnticum cantate nouum Iehouæ:
Geſsit is miranda, ſuo redemptis
Brachio nobis peperit, ſuaq́
Morte ſalutem.
Largaq́ extremam ſua iuſsit ire
Dona per terram: docuitq́ clarè,
Gentibus quòd ſit, populisq́ cunctis
Iuſtificator.
Et ſui erga nos meminit fauoris,
Et datæ uerbis fidei ſeueris:
Vidit et tellus Domini ſalutem
Vltima noſtri.
Omnis hunc noſtrum cane terra regem,
Eius & cantu meditare laudes,
Ad lyram grato modulare mecum
Carmina plectro.
Cœtus haud damnandus, io triumphe,
Non ſemel dicamus io triumphe.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Pontus & tellus, in iis'q; clauſa
Omnia pſallant.
Flumina, & montes, pariter celebrent
Regis aduentum properantis: omnes
Namq; recturus uenit ille gentes
Iure, fideq;.

ODE X. Pſal. 99.

Dominus regnauit.

REgnum occupauit Chriſtus, eum tremant
Cœtus prophani: templũ habitat ſacrũ,
Turbetur orbis, quando in alta
Rupe Sion, populisq; cunctis
Ingens, & altus lucet: ij tibi
Rex grata pſallant carmina. rex enim
Sanctus, timendus, fortis, ingens,
Et ſtudioſus es æquitatis.
O` iuſte iudex, te iuuat æquitas,
Nobisq; pandis iuſticiam tuam:
Cantate noſtrum heroa Chriſtum,
Illius & celebrate ſanctum
Pedum ſcabellum. Sic Moyſes grauis,
Et frater Aaron, ſic Samuel pios
Inter ſacerdotes reperti,
Inter item tibi ſupplicantes.
Te te inuocabant, tuq; parens eos
Exaudiebas: nubeq; ijs latens

Denſa

Denſa loquebaris. ſed illi
Pacta tua, & tua iuſſa plenè
Cuſtodiebant. mitis eras eis,
Et uindicabas præſtita eis mala.
Hunc ferte laude, hunc in ſacrato
Monte Deum celebrate ſanctum.

ODE XI. Pſal. 100.

Iubilate Deo omnis, &c.

OMnis autori cane læta noſtro
Terra, patrono famulare gaudens,
Eius & mitem ſaliente quære
Pectore uultum.

Scito quòd uerus Deus eſt Ieſus,
Isq́; nos finxit, neq; noſmetipſi.
Illius nos plebs ſumus, & bidentes
Eius ouilis.

Hinc Dei portas memori ſubite
Corde mortales, meritisq́; in hymnis
Atria, & ueſtro Dominus canatur
Iugiter ore.

Eſt enim clemens, pietasq́; durat
Semper illius, neq; deſitura eſt
Veritas eius, neq; fallet ullum
Quando fidelem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE XII. Pſal.101.

Miſericordiam & iudicium,&c.

Quò lenitatem & iudicium ſequar,
Cantemq́; ſemper te Deus, & uiam
Prudenter incedam per arctam,
Quando mihi uenies benignus:
Puro meam da corde regam domum,
Nihilq́; peruerſi ante oculos meos
Verſetur: immò prauitatem
Sint odio mihi diligentes.
Mihi malignum ne cor adhæreat,
Sed cedat à me: ne docear malum,
Succidam amico detrahentem,
Altum oculis, animoq́; latum
Ne ferre poßim: uerùm oculi mei
Quærant fideles, ut ſedeant prope
Me iudicantes: quiq́; rectum
Carpit iter, mihi ſit miniſter.
Conſpectus autem nemo domi meæ
Sit fraudulentus, fratribus & ſuis
Falſa ore mendaci locutus
Nemo meis oculis placeto.
Quin mane primo ſedulus enecem,
Quicunq́; terram crimine polluunt,
Ne qui relicti in ciuitate
Porrò tua maneant iniqui.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE XIII. Pſal. 102.

Domine orationem meam, &c.

AVdi ſumme libens uota Deus mea,
Et clamor moueat te meus: obrutum
Ne me cladibus horre,
Sed ſerua tibi ſupplicem.
Fumi en more dies aufugiunt mei,
Et ſic oſſa nigrant, ut titio, mea:
Percuſſum eſt uelut herba
Cor, exaruit & mihi.
Panis iamq; diu nil mihi poſcitur,
Crebrosq; ob gemitus maceror ut caro
Mi pinguedinis expers
Duris hæreat oßibus.
Agreſti cuculo perſimilis gemo,
Deſertumq; uelut nycticorax, amo
Totas, more uolucrum,
Noctes mereo peruigil.
Hoſtes opprobrio me cruciant graui, &
Inſultant mihi: quin exitium in meum
Iurant. puluere ueſcor
Pro pane, & lachrymas bibo.
Succenſente mihi te pereo Deus,
Atq; ætas mea tanquam umbra fugit euis:
Vt flacceſcit & herba,
Sic paulatim ego concido.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Sed tu perpetuò rex eris ô Deus,
Nec per mortem hominum cordibus excides.
Surgens ergo, Sionem
Cunctis eripies malis.
Eſt iam tempus enim ſubſidium pijs
Mittendi, quoniam ſacra tuis placent
Seruis atria, terra
Motos afficit & tua.
Quo gentes timeant te Deus, ac tuam
Cyclopes paueant gloriam, ubi extrues
Ornabisq; Sionem,
Ornandoq; uideberis.
Miti uota uides lumine pauperum,
Nec ſpernis gemitus. detur hoc illitum
Chartis poſteritati,
Quo laudent & ij Deum.
En è ſiderea ſede ſibi ſacra
Terram eſt intuitus, quo gemitus pios
Vinctorum audiat, atq;
Damnatos nece liberet.
Hinc & ſacra Sion, atq; Ieruſalem,
Pangent mellifluis hunc citharæ modis,
Cum plebesq;, ducesq;
Iungentur famuli Deo.
Longa cunctipotens omne uia mihi
Robur ſurpuit, & diminuit dies,

Ne

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Ne me factor in æui
Perdas dimidio mei.
Anni perpetui ſunt tibi: tu quidem
Dextra principiò condideras tua
Terram, axemq́ue, ſed ipſa
Te ſaluo intereunt tamen.
Trita, ut lanam, aboles omnia: tu manes,
Anniq́ue haud deerunt Chriſte tibi. Hinc tui
Serui, & ſemen eorum
Coram te ſtabiles erunt.

ODE XIIII. *Pſal.103.*
Benedic anima mea Domino, &c.

H*Ymnum Iehouæ mens mea debitum,*
Eiusq́ue ſancto concine nomini,
Gratisq́ue donatæ ſalutis
Vſque memor modulare Chriſtum.
Nam ſoluit omni crimine te pius,
Sanatq́ue morbos omnigenos tuos:
Vitam tuam aufert à ſepulchro,
Teq́ue ſua pietate lætam
Perducit, omni te ſatiat bono, &
Nouat iuuentam, ritu aquilæ, tuam:
Eſt iuſtus, afflictisq́ue pronus,
Iudicium facit ille cunctis.
Moſen uoluntatem edocuit ſuam,
Et mira ſanctis exhibuit ſua,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Seu priſco ab Iſraele natis,
Siue magis genitore diuûm.
Eſt mitis, æquus, longanimis, pius:
Haud litigabit perpetuò, ſuis
Nec ſemper iratus manebit,
Nec lacera mala digna nobis
Vita rependet. Nam ueluti procul
Depreſſa tellus diſtat ab æthere,
Nobis procul ſic acta leuis,
Ira Dei, pietas propinqua eſt.
Vt multum ab ortu diſsidet occidens,
Sic noſtra nobis omnia ſeparat
Peccata Chriſtus: quoq; gnatos
Quis pater, hoc miſeratur ille
Ipſum timentes pectore. non enim
Qua ſimus orti neſcit origine:
Verùm recordatur, creatos
Puluere, puluerem item futuros.
Herba uirenti uanior eſt homo,
Et floris inſtar perſubitò cadit,
Spirante ut Euro flos labaſcit,
Et perit, atq; loco mouetur.
Aeterna durat ſed bonitas Dei,
Nulloq; deerit iuſticia illius
Aeuo, eius afflatis timore,
Et populo, ſua, poſterorum

Præ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Præcepta ſeruare aduigilantium.
In axe ſedem conſtituit ſibi
Rex hic manentem, eiusq; regnum
Ad populos ueniet remotos.
Hunc ô fideles pangite nuncq;
Virtute clari, uerba ſacra illius
Qui publicatis, quo per orbem
Vox placidi patris audiatur.
Paßim piorum, laudibus hunc ſuis
Ornate cœtus, ætherei uiri
Chriſtoq; deuoti miniſtri,
A' quibus efficitur uoluntas
Illius. Hunc regem omnia quæ micans
Miracla ſanctis exhibuit ſuis,
Quacunq; regnat parte, laudent:
Tu mea mens quoq; pange Chriſtum.

ODE XV. Pſal. 104.

Benedic anima mea Domino, &c.

HYmnum Iehouæ concine mens mea,
Tu facta patras inclyta mi Deus,
Ceu ueſtem, honorem gloriamq;,
Lucem etiam rutilam induiſti:
Dum das, ut aulæum explicitum, polum,
Nectisq; lymphis aereis eum.
Nubes liquentes rheda ſeruit
Facta tibi, Zephyriq; uectus

Ince-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Incedis alis, nuncij eunt tui
Venti, miniſtrat flamma tibi micans
Aetate nulla diruendum
Mole ſolum ſtabili locaſti.
Glauco quidem illud ueſtieras mari
Primùm, & ſupremo uertice montium
Ludebat immotata Tethys,
Oceanusq́ tegebat orbem.
Sed expauentes uoce tua fugam
Cæpere, & ibant præcipites tuo
Moti tonitru: porrò montes
Aereum caput extulerunt.
Emerſit & quæ planicies, locis
Subſidit imis imperio tuo.
Cauiſti & obiecto fugatis
Aggere, ne potiantur agros
Rurſum uirentes. elicitis quoq;
Das magna labi flumina fontibus,
Inter ſtupentes larga montes
Munifici bona conditoris.
Omnes agreſtes inde bibunt feræ,
Sedatq́ iumentum omne ſuam ſitim.
Iuxta illa cantillat uolucrum
Cætus ab arboribus propinquis.
Turitè montes imbribus irrigas,
Terramq́ donis exatias tuis,

Qua

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Quæ grata iumentis dat herbas,
Et ſegetes homini colenti.
Hinc apparatur panis, & obrutum
Cura Lyæus cor hominis leuat,
Frons tetrica unguento niteſcit,
Corda uiri ſua pane firmant.
Succum & miniſtras arboribus tuis,
Altoq́; cedros in Libano tua
Virtute plantatas, in ipſis
Tecta ſtruit ſua præpes ales.
Soli dat abies alta ciconiæ
Domum. quieſcunt per iuga montium
Damæ, ſed infœlicium ſunt
Antra latebra cuniculorum.
Lunam creaſti, ſignet ut annua
Feſta, ipſe ſol haud tranſgreditur ſuum
Oblitus occaſum: tenebræ
Deinde ruunt, celerantq́; noctem.
Tunc euagantur terribiles feræ,
Specu relicto, tunc leo rugiens,
Tunc ſæuus urſus quærit abs te
Pacta tua ſibi lege dona.
Surgente Phœbo confluitant, ſuisq́;
Antris teguntur. Protinus in ſuum,
Fidens homo exit ſole domum
Occiduo rediturus, aruum.

Quàm

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Quàm, quæ facis tu, grandia ſunt Deus?
Cuncta adminiſtras artifici manu:
Repleta quin poſſeßiones
Tota tuas humus obſtupeſcit.
Quàm pontus altus, quàm ſpacioſus eſt?
Prorepit illic maxima piſcium
Paruorum & ingentum caterua:
Fertur ibi fabricata pinus.
Quin condidiſti cete ibi grandia
Luſura. Te cuncta inſpiciunt Deus,
Dum tempore ipſis ordinato
Præbueris alimenta fidus.
Te dante ſumunt pabula: te manum
Pandente largam, frugibus affluunt:
Turbantur autem te latente:
Exanimas, redigisq́ tandem
In puluerem omnes. Spiritui tuo
Sed reſtituti, rurſum aderunt noui:
Tum terra te coram nitebit
Sidereo renouata uultu.
Diuina durat gloria perpetim,
Et geſta te Chriſte exhilarant tua
Cuius tremebat terra quondam
Intuitu, Sinaiq́ tactu
Mons fumigabat. Dum ſuperauero,
Trahamq́ nondum frigidus halitum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Te Chriſte pſallam: ſume carmen
Quæſo meum, placidoq́; ſemper
Da gaudeam te. ſed pereant citò
Cuncti maligni funditùs, & mala
Ne turba poſthac fac ſuperſit.
Tu mea meis cane læta Chriſto.

ODE XVI. Pſal. 105.

Confitemini Domino, &c.

Cantate celſa mente pij Deum,
Ipſumq́; forti pectore, cladibus
Preßi, inuocate, interq́; gentes
Ad citharam canite eius acta.
Ne facta uobis illius excidant
Miranda, paßim dicite, paßim eum
Cantate, ſanctum & nomen eius
Pangite, mens pia recreetur
Quærentium illum. quærite iugiter
Et robur æterni, & faciem Dei,
Et geſta quæ patrauit, oris
Verba ſacri quoq; cogitate.
Vos Abrahami poſteritas pij,
Prolesq́; forti patre Iacob ſata:
Nobis hic eſt iudex, hic orbem
Imperio regit unus æquo.
Hic ſemper icti fœderis eſt memor,
Seruatq́; ſeris omnia poſteris

Quæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Quæ iureiurando fideli
Pollicitus fuit Abrahamo.
Quæ mox & Iſaaco, & Iaacob patri
Pro lege, pacto & perpetuo nouans,
Hæreditati læta uobis
Arua dabo Cananæa, dixit.
Quare minuti cum numero forent,
Terraq; promiſſa coloni
Vixdum uterentur, ſæpeq; illis
Regna uagis noua uiſerentur:
Ne tum quidem ullos eſſe graues ijs
Permiſit: imò propter eos duces
Puniuit. Ergo Chriſtianos
Nemo dehinc monitus laceſſat.
Nemo prophetas fatidicos Dei,
Et quotquot eius pectora ſpiritu
Mutantur imbuit peritus
Hoc alacres duce perſequatur.
Cum præter Aegyptum, imperio Dei,
Vbiq; terrarum ingrueret fames,
Nec fracta panem pollicentes
Culmina erant paritura ſpicas.
En ille Memphim uerſus, ijs uirum
Clàm dirigebat ui puta uenditum
Fraterna Ioſephum, atq; ferro
Lugubriter pia crura uinctum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Creſcente donec nomine claruit
Latè refulgens eloquio Dei:
Tunc ductor Aegypti ſolutum
Iuſsit eum Pharao uocari,
Arcana doctum ſomnia. Dein ſuæ
Præfecit aulæ, ceu ſocium ſibi:
Ceſsitq́; ſeu uincire prauum,
Siue docere uelit ſenatum,
Autoritatem. Tum pater indigus
Natum affluentem pane petit Iacob,
Creuitq́; in Aegypto, ſuosq́;
Dante Deo ſuperauit hoſtes.
Deinde ſuaſit ciuibus impijs,
Odiſſe ſæuo corde pios Deus,
Malumq́; ſeruis fraudulento
Triſte ſuis animo parare.
Moſen ſed ipſis motus, & inclytum
Fratrem eruendis miſit: & ipſius
Hi mira coram rege terræ
Magnificè poſuere ſigna.
Iuſſu Tonantis uerſa ibi ſorduit
Vnda in cruorem, toxica piſcibus
Aegyptiorum, ortæ tenebræ,
Tecta ducum ſubiere ranæ.
Produxit inſecti omne genus quoq;,
Suaq́; natis uoce pediculis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Præcepit inſeſtare cunctas
Niliacæ regionis urbes.
Quin grandinem illis pro pluuijs dedit,
Eurumq́ ſiccum, quo ſemel arbores
Omnes per Aegyptum uidendas,
Vitem etiam teneram, atq́ ficum
Proſtrauit. Hinc & uoce dedit ſua
Bruchos, locuſtasq́ innumerabiles,
Illorum in agris omne gramen,
Omnem etiam Cererem uorantes.
Tandem inter hoſtes attulit omnibus
Prima creatis exitium uice,
Paßimq́ delectam iuuentam
Cimmerio grauis egit orco.
Eduxit autem ſic populum ſuum
Argento & auro plenum, in ijs malè
Nemo ualebat, iamq́ cœtu
Læta erat hoc Tanis exeunte.
Fortem pauebat quippe manum Dei.
Porrò ipſe plebi dux aderat ſuæ,
Et luce nube illos fouebat,
In tenebris face dirigebat.
Et poſtulabant cum ſua munera,
Audiuit illos, & uolucres ijs
Lautas adegit, uiq́ panis
Aerei ſaturauit illos.

Vndas aperta protulit è petra,
Fecitq́ eremo flumina tendere:
Verbi, quod addixit fideli,
Quando fuit memor, Abrahamo.
Eduxit ergo lætitia ſuos
Ingente motos, aruaq́ gentium
Donauit ipſis poßidenda,
Et ſtabilem populum labores
Hæreditatem: quo faciant ſua
Præcepta uel ſic pectore ſubdito,
Veroq́ conſeruent ſtatuta
Corde pij ducis, Halleluia.

ODE XVII. Pſal. 106.

Confitemini Domino, &c.

CAntate numen, cuius in omnia
Ter ampla durat ſecla benignitas.
Quis robur ingens eloquatur?
Quis merita quoq́ laude geſta
Vulgarit eius? iudicijs Deus
Qui corde contrito inuigilant tuis,
Tuæq́ ſemper iuſſa præſtant
Legis, ij mihi ſunt beati.
Mei memento quæſo, tuæ fauens
Turbæ: ſalus & me tua uiſitet,
Quo læter in Chriſto, canamq́,
Cuncta tuis bona præparata

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Luſtrans amicis, quo tibi credulo
Votiua pſallam carmina cum grege,
Hæreditarioq́ iure
Cum populo tibi competente.
Heu more patrum uiximus impiè:
Nec non, fatemur, tetra patrauimus
Delicta, nati ſtirpe dura,
Poſteritas ſimilis parentum.
Patres in Aegypto alta Dei parum
Intelligebant prodigia, ac ei,
Illius erga ipſos fauoris
Immemores, propè caricoſum
Bilem excitabant indociles mare.
Parcebat autem lenis eis Deus,
Quo glorioſus quoq́ fortis
Omnigenis populis niteret.
Verbo mare impulſum illius aruit,
Et tranſijt grex charus, ut herbidam
Calcans eremum: & ſic minaces
Tutus, eo duce, fugit hoſtes.
Quos pontus ira feruidus obruit,
Omnes ad unum tunc pauidi fidem
Verbo dederunt eius illi,
Tunc meritas cecinere laudes.
Sed exciderunt denuò perfidis
His mira tanti geſta Dei citò,

Eiusq́

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Eiusq́ non manſere tectum
Conſilium, patiente corde.
Sed concupiſcunt arua per inuia,
Deumq́ tentant, unde furens eos
Votis & ipſorum beabat,
Et ſubita nece puniebat.
Hinc æmulantur Moſem Aaronq́, ei
Lectos miniſtros. at Dathan impium,
Sontemq́ Abironem ſecutos
Mergit humus, uorat ignis omnes.
Formant in Horeb mox uitulum quoq;
Signumq́ adorant fuſile pro Deo,
Magnumq́ contemnunt patronum
Præ rituli comedentis herbam
Tetra figura. Tantopere hic ſui
Factoris obliti & ducis & Dei,
Qui mira in Aegypto patrarat,
Mira fretum prope caricoſum.
Tum dixit: Extinguam hoc hominum genus.
Feciſſet etiam, ni prece feruida
Moſes furentem leniſſet,
Seq́ uadem gregis obtuliſſet.
Spreuere terram poſtea amabilem,
Nec crediderunt pollicitis Dei:
Sed murmurarunt ſecum, & almi
Verba ducis minus audierunt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Hinc cœpit illos in ſterili pater
Delere campo, uindice dextera,
Ac tradere occandos profanis
Gentibus, & uarias in oras
Euentilare. At denuò mox Peor
Idolo, & eius cultibus impijs
Miſcentur, interſuntq́; ſacris
Exhibitis homini ſepulto.
Deoq́; fœdis hiſce piaculis
Mouere bilem. tum grauis obruit
Iudex malignos, ille plagis
Vberibus: poſuitq́; tandem
Placatus iram, cum Phinees puer
Stricto executus iuſtitiam fuit
Mucrone: dehinc iuſtus uocandus,
Perpetuusq́; Dei ſacerdos.
Bilem excitarunt illi & aquas prope
Contentionum. propter eos ubi
Deliquit & Moſes, labansq́;
Laſſo animo, malè labra ſoluit.
Nec perdiderunt, morigeri Deo
Gentes: at ipſis impliciti mala
Diſcunt earum facta proni,
Thuraq́; dant ſtatuis earum,
Sibi in ruinam. Quin ſua pignora
Dijs immolant, & ſanguine polluunt

In

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

In ſonte terram, muta cæci
Quo populi ſimulachra placent.
Fœdauit illis fuſus humum cruor,
Ipſiq́ ſeſe flagitio graui
Contaminarunt, cum relicto
Vana Deo coluere mœchi.
Iratus electum hinc fuit in gregem,
Hæreditatem deſpuit & ſuam,
Et ceßit hoſtili regendos
Vltor eos populo ethnicorum:
Qui macerarunt, ac humiles eos
Fecere duri. Sæpe quidem Deus
Illos redemit: ſemper autem
Conſilio proprio ſteterunt,
Deo rebelles, unde & ei graues
Dedere pœnas. ſub cruce mox tamen
Vidit laborantes benignus,
Audijt & ueniam petentes.
Serua benignus quæſo tuos Deus,
Nosq́ à remotis collige gentibus,
Quo ſemper altum te canamus,
Laude tua pater occupati.
Laudandus es tu ſecla per omnia,
Fidentium te Chriſtigenûm Deus.
His omne reſpondeto doctum
Vulgus, Amen. canat halleluia.

Finis libri quarti.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

CARMINVM DAVIDICORVM LIber Quintus.

ODE I. Pſal.107.

Confitemini Domino,&c.

Cantate numen, cuius in omnia
Ter ampla durat ſecla benignitas,
Sic Marte Chriſti liberati
A' tumido modulētur hoſte.
Quos orbis illi ſectus ab ultimis
Remiſit oris, hi procul urbibus
Quondam uagabantur per arua
Sicca, ſiti & fame macerati.
Sed inuocantes cladibus in ſuis
Deum, ille cunctis eripuit malis,
Viaq́; recta duxit illos,
Quas habitant quoq; ceſſit urbes.
Benignitatem quiq; Deo ſuam,
Eiusq́; ſparſis acta canant Adæ
Miranda natis quippe replet,
Et ſaturat bonitate mentes
Famelicas, & pectora ſaucia,
Et quotquot atris in tenebris agunt,
Et mortis umbra, crura ferro,

Noxia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Noxius corda pauore uinčti.
Quòd uerbum, & altum conſilium Dei
Spereuere peruerſi:hinc cor eis graui
Vltor fatigauit labore:
Hinc cecidere, ope deſtituti.
Sed cum precantur cladibus in ſuis
Deum, ille cunčtis liberat à malis,
Atq; è tenebris leti & umbra
Ducit eos, fera uincla rumpit.
Benignitatem quiq; Deo ſuam,
Eiusq; ſparſis ačta canant Adæ
Miranda natis:namq; portas
Aere ſcidit, ſtabilesq; ferro
Večtes.ita inſani ob ſua turpia
Commiſſa, morbos concipiunt graues,
Sic ut cibum execrentur omnem,
Et ueniant prope mortis antrum.
Sed cum precantur cladibus in ſuis
Deum, ille cunčtis liberat à malis,
Miſſoq; uerbo ſanat illos,
Arcet & exilio minaci.
Benignitatem quiq; Deo ſuam,
Eiusq; ſparſis geſta canant Adæ
Miranda natis, immolentq;
Laudem, alacres quoq; clara pangant
Illius ačta. En, cum fragili rate,

Fidente ſulcant pectore nauitæ
Fluctus marinos, proq́ uictu
In tumidis operantur undis.
Ipſi profundo geſta Dei in mari
Stupenda cernunt. Sicubi enim illius
Ventoſa mandato procella
Perſurat, intumeantq́ fluctus,
Iamq́ aſtra ſcandant, inſera mox uada
Nundent, ijs mens preſſa liquet malo,
Quaſsiq́ nutant ebrioſi
More, poteſt nihil ars eorum.
Sed cum precantur cladibus in ſuis
Deum, ille cunctis demit eos malis:
Miteſq́, tempeſtate ſæua
Perdomita, iubet ire fluctus:
Gratoq́ tranquilli æquore marmoris,
Fauſtaq́ mœſtos lęticia nouat:
Ipſoſq́ læto corde ductor,
Quem cupiunt dat adire portum.
Benignitatem quiq́ Deo ſuam,
Eiusq́ ſparſis acta canant Adæ
Miranda natis, laudeq́ ipſum
In populo celebrent frequente.
Et concinant in concilio ſenum
Mutantem eremo limpida flumina,
Terramq́ petroſa feracem

Flagitio

Flagitio ſuper incolarum.
Rurſumq́ ſtagnis dulcibus aridas
Mutantem eremos, & ſterilem quoq́
Agrum feraci, cui colendo
Deſtinat hinc fame maceratos.
Qui mox & urbes, quas habitent, ſtruunt,
Et arua mixtis arboribus ſerunt,
Plantantq́ uites, horreumq́
Fruge ſuum ſuperante replent.
Ipſisq́ ualde propitij Dei
Virtute creſcuunt, nec pecus interit
Ipſorum in agro: ſed minuti
Mox numero, miſeriq́ fiunt,
Fremente iuſto denuò iudice.
Affundit hic & principibus uiris
Contemptum acerbum, deuijsq́
Cogit eos latitare ſyluis.
At contrà egenos ac inopes graui
À ſorte clemens liberat, ac eis
Dat copioſum ſemen: illud
Conſpiciunt, ſaliuntq́ iuſti.
Sed cœtus excors contrahit os ſuum
Confuſus: Eſt quis callidus? Hæc ſciat,
Prudensq́ diſcat lenitatem,
Et ſtabilem Domini fauorem.

ODE

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE II. Pſal. 108.

Paratum cor, &c.

MEns te prompta mihi pſallere, te decus
Pangã Chriſte meũ. cede age tibiam,
Diuinamq́ lyram. diluculo Deus
Cunctis te populis canam.
Ingens eſt pietas, firma fides tua:
Rector ſcande polum, ſit tua gloria
Toto extenſa ſolo, ſolue malo tuos
Motus, meq́ ſimul bea.
Immò ut ſede mihi tu canis è ſacra,
Mox intrabo Sichem, metiar & Suchoth
Vallem: mî Galaad, meq́ Ephraim potens,
Manaſſesq́ ducem tremet.
Doctor Iuda meus, qua lauer olla erit
Moab: indue Edom tu mihi calceos,
Regi quin etiam læta canet ſuo
Philiſtina mihi cohors.
Vrbem ad turrigeram quo ueniam duce?
Quo uincetur Edom principe? ten' Deus?
Qui nobis renuis durus opem tuam,
Nec nos iam pius adiuuas.
Fer quæſo auxilium ſtragibus in meis:
Nam uana eſt, homines quam tribuunt, ſalus:
Præclara auſpicio bella geram tuo,
Hoſtes tuq́ premes meos.

ODE

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE III. Pſal.109.

Deus laudis meæ,&c.

RErum creator, laus mea, ne ſile:
Nam fraudulentis me ſuper impij
Linguis loquuntur, meq́ damnant
Ex odio, immeritumq́ citra
Cauſſam laceſſunt, & mihi detrahunt
Ipſos amanti ſedulò, proq́ eis
Oranti, amarorem rependunt
Officijs, odiumq́ amori.
Circundet illum crux grauis, ad latus
Stet hoſtis illi, iudice te reus
Eſto, ſuoq́ iram precatu
Augeat, & breue claudat æuum.
Succedat & mox alter ei, orphanos
Natos relinquat. ſit uidua illius
Matrona, ſubuerſoq́ tecto
Victum inopem petat oſtiatim
Illius omnis poſteritas uaga.
Exactor omnes eius opes uoret,
Eius peregrini labores
Diripiant, ope nemo motus
Illum iuuet: nemo eius & orphanis
Miſertus adſit: progenie uacet
Sera nepotum, cumq́ fama
Ipſe ſua pereat ſepultus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Eius parentum culpa Deum incitet,
Viuatq́ʒ ſemper matris iniquitas:
Ne nomen illi poſt ſepulchrum
Extet, ob id, quia mititatis
Oblitus omnis, pauperem & indigum
Et corde tritum perſequitur uirum. Hinc,
Quam quæret, iram incurret: & quam
Horret, erit pietatis expers.
Ira induetur, ceu tunica ſua,
Perq́ʒ eius ibit cor, olei modo:
Pro ueſte ſiet, proq́ʒ Zona,
Qua tremulos regit uſqʒ lumbos.
Hæc danda merces hoſtibus à Deo,
Quotquot meæ ſunt ore animæ graues
Prauo: mihi autem, qui uocaris,
Mitis es, & pietate grata
Me quæſo ſerua: nam miſer, atqʒ inops,
Ac uulnerato pectore ſum Deus:
Tanquam umbra declinans labaſco,
Muto ſolum uagus ut locuſta.
Ieiunio me macero, nec meum
Inungo olenti corpus aromate,
Et ſum probro illis: meq́ʒ uiſo
Fortè, mouent caput arrogantes.
Quin tu mihi ſis auxilio Deus
Tuumq́ʒ ſerues quæſo clientulum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Paruum benignus, teq́ȝ forti
Tanta ſciant gerere acta dextra.
Dira imprecantur cum mihi, tu faue:
Confunde, bellum ſi mihi qui parant:
Quo læter in te. uerùm operti
Sint reprobi, quaſi ueſte, probro.
Cantabo ſemper uoce mea Deum
Turbæ fideli, quòd miſero uiro
Stet dexter, erepturus eius
À tumidis animam tyrannis.

ODE IIII. Pſal. 110.

Dixit Dominus Domino meo.

Dixit ad Chriſtum pater: Euge dextram
Occupa noſtram, tibi dum ſcabellum
Dem tuos hoſtes, domitoq́ȝ regnes
Victor in orbe.
È Sion idem tua ſceptra terris
Inferet cunctis, adeoq́ȝ dicet:
Inter hoſtiles dominare uerbi
Lumine turmas.
Subditi te ſponte tui ſequentur,
Cum potens & mitis eis nitebis:
Tum tibi, auroræ uelut orta rore,
Pignora ſurgent.
Iureiurando, neqȝ pœnitendo
Hoc pater dicit tibi: Tu ſacerdos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Es mihi nunquam periturus, inſtar
Melchiſedecis.
Stat Deus dexter tibi, ſternet ira
Feruidus reges, uenietq; iudex
Gentibus, clarasq; graui replebit
Funere terras.
Atq; ibi franget capita. È profundo
Obuiam torrente bibes, ferendo
Mortis ærumnas, ideoq; uictor
Sidera ſcandes.

ODE V. Pſal. 111.
Confitebor, &c.

CVm ſancta Dominum plebe fidelium
Tota mente canam: grandia nam ſuis,
Et gratiſſima præſtat
Cunctis acta clientibus.
Pulchrum eſt, quicquid agit: iuſtitia illius
Durat perpetuò, ſeq; aperit ſua
Per miracula nobis
Clemens & facilis Deus.
Eſcam donat eis, quotquot eum timent,
Et pacti meminit perpetuò ſui:
Et præ fortia geſta,
Electo bona gentium
Largitur populo. Sunt mera ueritas,
Sunt & iudicium, ſuntq; fidelia,

Confirmataq́ſemper,
Quæ fert, quæq́ agit, omnia.
Cum ſint picta fide, cum ſapientia
Nobis auxilium fert Deus, & ſuum
Pactum extendit in æuum:
Sanctum & terribile eſt ei
Nomen. Porrò timor, corda mouens, Dei
Cæleſtem gradus eſt ad ſapientiam
Primus: cognitio autem
Conducit ſimul ex primis.

ODE VI. Pſal. 112.

Beatus uir qui timet Dominum, &c.

Quiſquis Deum ueretur,
Fœlix terq́, quaterq́:
Seruabit is lubenti
Eius pectore iuſſa,
Toto & potens in orbe
Linquet ſemen (ita omne
Mundata plebs piorum
Eſt laudanda per æuum)
Diuesq́ erit, nec unquam
Iuſtus deſinet eſſe.
Lux ecce per tenebras
Rectus fulgurat ipſe
Clemens, & impiorum
Chriſtus iuſtificator.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Dat, commodatq́; iuſtus,
Diſpenſatq́; ſuas res
Prudenter, haud mouendus
Ergo: aſt uſq; ſtaturus,
Nil audiet moleſti
Fractus, corq́; manebit
Firmus fide in patronum:
Nil & mens tremet eius
Inuicta, dum perire
Diros uiderit hoſtes.
Diſpergit hinc, ſuamq́;
Rem donabit egenis.
Et puritas manebit
Eius iugiter: atq;
Tandem caput beatus
Magno extollet h:nore.
Peccator hæc inani
Cernet percitus ira,
Et dentibus furenter
Infrendebit, & unà
Tabeſcet: impiorum
Votum turpe peribit.

ODE VII. *Pſal. 113.*

Laudate pueri Dominum, &c.

P*Angite munificum pueri Deum,*
Eiusq́; nomen laudibus

Ferte, ſit hinc ſeclis celebre omnib.
Nomen canendum numinis.
Solis ab ortu excelſus in angulum
Luceſcit aduerſum Deus:
In cunctis populis Deus eminet
Tranſgreſſus axem gloria.
Quis noſtro fuerit ſimilis Deo,
Sedem occupanti regiæ
Maieſtatis, & æthera cum ſolo
Prono uidenti lumine.
Subleuat hic è puluere pauperes,
Mœſtosq́; tanquam è ſtercore
Erigit: immo duces etiam iuuat,
Plebis duces inquam ſuæ.
Dat ſterili multos quoq; liberos,
Prolisq́; matri gaudium.

ODE VIII. Pſal. 114.

In exitu Iſrael, &c.

CVm patriarchæ poſteritas Iacob
Exibat Aegypto, à populo impio,
Tum ſummus illam ſegregauit
Rex ſibimet, poſuitq́; regnum.
Vidit, reſugitq́; undiſonum fretum,
Iuit retrorſum Iordanis, ac uelut
Agni fruentes lacte matrum,
Aerei ſaliere montes.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Cur quæſo fugiſti undiſonum fretum?
Cur is retroſum Iordanis? ac uelut
Agni fruentes matre, iuuit
Aerei ſaliſſe montes?
Commota nempe eſt à facie Dei
Tellus: Dei, inquam, quem coluit Iacob,
Qui poſt & ex arente ſaxo
Elicuit fluuium liquentem.

ODE IX. Pſal. 115.

Non nobis Domine, non nobis, &c.

HAud Chriſte nobis gloria, ſed tibi
Debetur uni, te decora tuam
Per mititatem ac ueritatem:
Cur, ubi nunc Deus eſt eorum,
Dicent profani? Cum tamen æthera
Noſter ſupremum rex habites Deus,
Et quæ uoluntati uidentur
Cuncta tuæ facienda, præſtes.
Idola uerò condita gentium
Argento & auro, ſunt breue opus uiri
Mortalis, os mutum gerentes,
Nilq́ ſuis oculis uidentes.
Habent et aures, nil tamen audiunt:
Suisq́ odores naribus haud bibunt,
Nil cernis attrectare palmis,
Nil pedibus rigidis moueri.

Cer-

Certumq́; clamorem edere deniq;
Candente quanquam gutture neſciunt.
Sic, iſta quotquot fabricarint,
Speq́; colent pereunte, fiant.
Vos Iſraelitæ, atq; Leui domus,
Deumq́; paßim turba timentium,
Hærete Chriſto. nam fideles
Ille ſuos reget, & beabit.
Noſtri recordans nos Deus adiuuat,
Gentem Iehudæ, gentem Aaronicam,
Tritoq́; corde ipſum timentes,
Seu miſeri ſumus, aut ſuperbi.
Vos atq; ueſtram progeniem Deus
Iuuet: beati uos Domino, poli,
Terræq́; factori. ipſe cœlum
Rex habitat, ſoboliq; Adami
Terram relinquit. mortuus en Deum,
Nec non ſepulchro conditus, haud canit
Cum laude: uerùm nos relicti
Perpetuò celebramus illum.

ODE X. Pſal. 116.
Dilexi quoniam, &c.

O Blector Domino, quando preces meas
Prona ſuſcipit aure,
Exauditq́; inopem, pectore iugiter
Hinc fidente ſuperſtes

Orabo. Horrida mors me modò cæperat,
Et nigri pauor Orci,
Mœrorq́ꝫ. Hinc animam quæſo Deus meam,
Dixi, ſolue periclis:
At clemens Deus, & iuſtus & eſt pius,
Noſter ſeruat egentes,
Et preſſos Dominus. preſſus eram modò,
Nunc ſaluatus ab illo.
Iam gauiſa ſile mens mea, nam tibi
Rex occurrit Olympi,
Te morti eripuit, triſtibus & tua
Soluit lumina guttis,
A lapſuq́ꝫ pedes. Ibo igitur Dei
Coram lumine, florens
Fructu iuſticiæ, dum ſuperauero
Viuus. Credo, fideq́ꝫ
Feruens, mira loquar Dei.
Valde afflictus eram, ſed nihilominus
Dicebam trepido in metu:
Quiuis falſa ferè gaudet homo loqui.
Quid uerò referam Deo
Pro cunctis, mihi quæ præſtitit? ebibam
Saluandi calicem gregis,
Oraboq́ꝫ Deum, uotaq́ꝫ ei mea
Coram omni populo ſuo
Reddam. quippe necem, quam ſubeunt pij,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Permagni facis ô Deus.
Te rex alme precor ſeruulus infimus,
Diſrumpas mea uincla:
Tum te laude feram, tum petã opem tuam,
Reddam & uota tibi mea
Coram plebe tua, ſacra & hac in domo.

ODE XI. Pſal. 117.

Laudate Dominum, &c.

Qvotquot ignotas habitatis oras,
Hunc Deum doctæ celebrate gentes,
Hunc Deum cuncti populi per orbem
Glorificate.
Nam ſuum nobis ſtabilit fauorem,
Certaq́ in uerbo ſine fine durat
Veritas eius. Deus hic perenni
Carmine dignus.

ODE XII. Pſal. 118.

Confitemini Domino, &c.

Collaudate Deũ, quandoquidẽ eſt bonus,
Aeternaq́ eius mititas
Eſt, & ſine caret. nunc Aaronica,
Nunc dicat Iſraelis domus,
Cunctorumq́ Deum turba timentium,
Quòd perſtet æternum pius.
Oraui Dominum cladibus obrutus,
Meq́ ille conſolatus eſt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Eſt mecum Dominus, non hominem tremo,
Vimq́ eius: adiutor meus
Ipſe eſt, deq́ meis hoſtibus eminens,
Mox ultionem ſumpſerit.
Viuo ſpes melius ponitur in Deo,
Quàm uel potentibus uiris,
Atq; in principibus. cinctus eram omnium
Turma impiorum: uerùm ope
Sum Chriſti ultus eos. En ut apes modò
Obſederant me: nunc, uti
Spinarum ſubitò flammula perditi.
Namq; ultus illos nomine
Sum Chriſti. Dederant præcipitem ferè
Me, Chriſtus adiutor fuit.
Et robur meum hic eſt, & melos, & mihi
Ceſsit ſaluti. perſonant
Odis Chriſtigenûm caſtra ſuauibus:
Nam dextra uirtutem Dei
Fecit. Celſa Dei dextera, grandia
Patrauit: haud obiuero,
Sed uiuus referam facta Dei. Is quidem
Me preſsit ærumna graui,
Sed non morte ſemel ſuſtulit. Heus, mihi,
Quo numen ingreſſus canam,
Portas iuſticiæ pandite: iuſti enim
Lubens hoc intrant oſtium.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Te cantabo Deus, quandoquidem beas,
Quem durus antè afflixeras.
Reiectus lapis en ædificantibus,
(Res mira, mirum opus Dei)
Templi præcipuo fulget in angulo.
Hæc illa lucens eſt dies,
Quam fecit Deus: hanc læticia pia
Ducti exigemus. Obſecro
Salua nunc Deus, ac reſpice lumine
Fauſto futurum principem.
Laudandus, Domini nomine qui uenit:
Laudandi in aula uos Dei,
Qui nobis radiat, noſter & eſt Deus.
Vincite lectum funibus
Altaris pecus ad cornua. Mi Deus,
Regem fatebor te meum.
Collaudate Deum, quandoquidem eſt bonus,
Aeternaq; illi eſt mititas.

ODE XIII. Pſal. 119.

Beati immaculati, &c.

FElix, omne nefas qui refugit, lege catus Dei,
Quiq; eius ſequitur ſollicito pectore ſpiritũ,
Nec crimen ſubiens turpe ſacram tranſgreditur uiam.
Nam ſeruare iubes tu rigidè uerba Deus tua,
Quæ quò pura ſequar, quæſo rudi confer opem mihi.

Tum gaudebò palàm cuncta uidens iuſſa tua,
& pio
Te laudabo, tuis iudicijs, pectore, cognitis.
Seruantem rogito me tua ne pacta reliqueris.
Qui næuo iuuenis purus erit? uerba ſequens tua.
Toto te ueneror corde, uijs ne uager exteris:
Et uerbum meditor, ne faciam, quod prohibes,
tuum. (doce.
Tu laudande Deus me, placeat quid tibi, per-
Nam dictata tuis ore meo ſola fero labris.
Nec tã diuitiæ me recreant, quàm tua fœdera.
Te dantẽ meditor iuſſa, tuamq́ intueor uiam.
Tu quæ fare mihi ſemper erunt grata, nec ex-
cident.
Da uiuã precor, & caſta ſequar iuſſa Deus tua,
Legisq́ ut uideam mira tuæ: cor aperi meum,
Nec celes tua me iuſſa ſoli flebilis incolã, (tua.
Nam mẽs noſtra flagrans perpetuò uerba ſitit
Diſperdis miſerè, iuſſa ferox qui tua deſerit.
Fac probris equidem, cum teneam pacta tua,
exuar.
Oppugnant etiam me proceres, dum ſequor os
Delectorq́ tuis conſilijs, erudiorq́ ijs. (tuum,
Me planè luteum uiuificat ſermo tuus, Deus:
Tu me, quando rudem confiteor, ſuſcipe, &
inſtrue.

Qui

Quo mirumq́ canam te, placidam mî patefac
uiam.
Proſtratumq́ graui ſermo lue me tuus erigat.
Falſam auerte uiam, at lex tua ſit uita mihi,
& ſalus.
Sinceram fidei, & iudicij flagro uiam tui:
Ne me cede, tuis qui placitis inſto, rubeſcere.
Ibo per tua mandata, inopi ſi comes iueris.
Magno cum ſtudio fac docilis iuſſa teram tua,
Legemq́ efficiam corde tuã prouidus integro.
O` me pone tuã, mirifice quæ placet, in uiam.
Pactis tota inhiã mente tuis, nõ timido lucro,
Ne uana intuear, ſed placitis uiuificer tuis.
Et quo te timeam, me doceas eloquium tuum.
Meq́ abſolue probro, quod timeo, iudicio pio.
Tu mî grata iubes, iuſticia uiuificer tua.
Huc accede pius. nam prope te ſermo ſalutis eſt:
Tunc hoſti referam uerba, quibus fido libens,
tua.
Quæſo errore uacem, iudicijs nitor enim tuis:
Quo lex inde queat perpetuò mi tua perfici.
Cumq́ inquiro tuam legem, abeam pectore li-
bero: *(quar tuum.*
Verbum principibus, ne rubeam, quando lo-
De iuſsisq́ tuis haud tepido pectore cogitem:
En iuxta illa graues tollo tibi perpetuò manus.

Te

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Te uerbi mihi, quo fulcior, haud immemorem
proba.
Solus dũ tribulor, me miſerũ ſermo leuat tuus.
Valde me tumidi lege premunt ſollicitum tua,
Chriſte: at iudicium lene uidens, mox releuor,
tuum. (probum.
Horrore exanimor, cum populum cogito re-
Carmen ſacra piũ ſunt mihi in hoc exilio tua,
Et uel nocte tui ſum memor, & iuſſa tero tua.
Atq; hæc obtinui cuncta, tuæ iuſticiæ memor.
Cuſtodire tuas dico uias portio erit mea.
Toto corde precor, ſis mihi iuxta eloquiũ tuũ
Clemens: uerba meis flagitÿs opto tua agnitis.
Promptus, non piger adſum tibi, quo iuſſa ſe-
quar tua. (premit.
Legis praua tamen me memorem turba tuæ
Te canto media nocte ſuper iuſtitia tua:
Cunctis ſum ſocius Chriſtigenis, teq; ti-
mentibus. (tua.
Terra eſt plena Dei numine, me pacta doce
Iuxta uerba Deus quæſo mihi confer opem tua,
Vt mores habeã porrò bonos, ueraq; dogmata.
Deliqui modò non tritus, at hinc iuſſa ſequar
tua.
Tu tantũ bonus, & mirificus nos ea perdoce.
Cõcinnãt reprobi falſa, mihi ſed placet os tuũ.
Illos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Illos craſſa tenet mens, ego ſed legem habeo
tuam.
Preßiſti ultiliter me, placita ut perdocear tua.
Me non afficiũt ullæ adeò, quàm tua lex, opes.
Tu cum condideris, iuſſa etiam me tua perdoce.
Ob me, quando tuis pollicitis fido, canent pij.
Iuſtus, noui equidem, tu Deus es, iureq́ me
premis:
Sed iuxta eloquium quaſi tuũ lenis ades mihi.
Te uiuam placido: nam tua lex deliciæ meæ.
Peruerſi erubeant, ipſe ſacris inuigelem tuis.
Mi coniunge pios, nota quibus ſunt tua fœdera,
Purum lege tua ſit mihi cor, perpetuoq́ ouem.
Tu mi certa ſalus, pollicitis fido pater tuis. (ris.
Illisq́ immineo, quando humilem tu recreaue-
Contractus ſagenæ more, tui uiuo tamen me-
mor. (erit hoſtibus.
Quo tandẽ uſq́ premar? quando meis pœna
Foderunt athei mî foueas, lege procul tua.
Tu uerax fer opem, perſequitur me manus
impia.
Me delere parant, iuſſa tamẽ non tua deſero.
Mitis uiuifica me, teneam quo tua fœdera.
Nunquam diſpereunt cunctipotens uerba Deus
tua,
Vt cœli atq́ ſoli perpetuum conſpicis ordinem,
Qui

Qui perdurat ad hunc uſq; diem morigerus
tibi.
Si non erigerer uoce tua, deficerem in cruce:
Sed nunquam mihi, cum uiuificent, iuſſa tua
excident. (quæreris.
Aſcriptus tibi ſum, ſuſcipe me: nam mihi
Praui occare parant me, tua ſed uox mihi lu-
ceat,
Cũctorũ exitiũ cerno manet lex tua perpetim.
Quàm lex chara tua eſt, ſedula ſtat mi meditatio.
Doctum lege tua, quam recolo iugiter, hoſtib.
Imberbẽ iuuenem uel ſenibus me magis efficis,
Mandatis humilis quando tuis gnauiter im-
moror. (tua.
Omne euito ſcelus, uerba alacris quo teneam
Non declino tuis à placitis diſcipulus tuus.
Ô quàm uerba placent, grata magis melle
mihi, tua.
Verbum ediſco tuum, propterea falſa iacet uia.
Vox diuina meis fax pedibus monſtrat iter bonũ.
Iuraui, & ſtatui iudicium corde ſequi tuum.
Verbo mire humilem uiuifica me Deus in tuo,
Doctusq; ore meo grata libens dona ferã tibi.
De te cogito, uix effugiens mille pericula.
Prauorum laqueis explicitus iuſſa terã tua.
Nam mî uerba tua in perpetuum ſunt patri-
monium Hinc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Hinc exulto, meumq́ en tibi cor iugiter offero.
Turbã odi reprobã, ſed tua lex ſuauè ſonat mihi.
Tu mi reffugium, tu clypeus, uerba peto tua.
A' me cede phalãx praua, Dei porrò terã uias.
Me firma eloquio Chriſte tuo: uiuere ſic amẽ.
Me ſeruator adi, & ſacra mihi nectar erunt tua.
Tu calcas reprobos, uana rapit quos meditatio.
Auſers ut ſcorias omne neſas hinc tua lex placet.
Præ terrore tui turbor, & à iudicio tuo.
Ne me, inſiſto tuis qui placitis liqueris hoſtibus.
Oblectato bonis me, tumidis liberũ ab omnibus.
Suſpirant oculi uerba mei, & iuſtitiam tuam.
Seruo mitis ades quæſo tuo, meq́ doce pater.
Seruus ſum tibi, da iam ſapiens pacta ſciã tua.
Vltor (tempus enim) ſurge, negant ſacra mali tua.
Plus auro tua uerba, et roſea diligo purpura.
Hinc mandata Dei cuncta probo, damnoq́ fabulas.
Cuſtodit tua cor uerba meũ: namq́ ſtupenda ſunt.
Lucent illa procul, dant pueris & ſapientiam.
Sum tanquã eſuriens, dum peramo iuſſa Deus tua.
Huc aduerte pios quæſo oculos, ut facis intimis.
In ſermone tuo da gradiar, ſubdita fraus cadat.

Me ui ſolue hominum, iuſſaq́; da perficiã tua,
Illuſtraq́; tui cor famuli, ut uerba ſciam tua.
Profuſe ſuper hos illachrymor, quos tua lex
fugit.
Iuſtus tu Deus es, rectaq́; ſunt iudicia en tua.
Tradis iuſticiam uoce tua, ueraq́; dogmata.
Zelo conficior, quòd tua uox excidat hoſtibus.
Purgatum eloquium ritè tuum ſeruus amat
tuus.
Contemptusq́;, humilisq́;, uſq; tuæ legis ero me-
mor. (*tas.*
Semper iuſta tua eſt iuſticia, & lex tua ueri-
Dura ſub cruce ſunt iuſſa mihi deliciæ tua.
Vt uiuam, tua me iuſta Deus fœdera perdoce.
Toto corde precor da placidus uoce regar tua.
Ad te clamo, mihi motus ades, quo tibi ſerui-
am.
Primo mane rogo, & pollicitis fido pater tuis.
Obſeruo uigiles hos oculos, uox tua ne excidat.
Audi me pius, & iudicio uiuifica tuo.
Hoſtes adueniunt fraude mala, lege procul tua.
Vicinus Deus es, iuſſaq́; firma omnia ſunt tua.
Iam fundata ſcio pacta citra principium tua.
Cerne, & ſerua humilem me, memorẽ legis item
tuæ.
Sis iudex mihi, meq́; eloquio uiuifica tuo.

Prauis

Prauis nulla ſalus, cum placitis ſint procul à
tuis. (ſecro.
Viuam. nam pietas magna tua eſt, iugiter ob-
Hoſtes innumeri ſunt mihi, legi inſto tamen
tuæ. (tua
Tabeſco, reprobos dum uideo, uerba quibus
Sordent. Hæc ego nam diligo, me uiuifica pius:
Aeternũ ſiquidem uox tua ſtat firma fidelib.
Vexant mî proceres membra, labris cor pauet à
tuis. (tuo.
Exultem eloquio, ceu ſpolium grande uidens,
Cultus ficticios execror. at lex tua mî placet.
Vno ſæpe die canto lubens iuſticiam tuam.
Pax ingens fluit, & uera tuæ legis amãtibus
Expectanda ſalus mî tua, nã iuſſa flagro tua.
Cuſtodit tua cor pacta meum, forteq; diligit.
Seruo iuſſa tua, & ſacra: uiam quippe uides
meam.
Scandunt noſtra tibi uota, doce uerba pios tua:
Exaudiq; precor, ſisq; memor polliciti tui.
Hymnos fide parens ore canam tunc tibi non
rudi. (adferet.
Verbum noſtra tuum lingua, dolo quod caret,
Quæſo dextra iuuet me tua, nã iuſſa ſequor tua.
Exoptata mihi Chriſte ſalus eſt tua, lex placet.
Hinc uiuet mea mens, teq; canet, tu mihi ſis
Deus, o Erran-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Errantemq́ ut ouē quære, tui me memorē tamē.

ODE XIIII. Pſal. 120.

Ad Dominum cum tribularer, &c.

Crux me quando premit grauis,
Et ſæuis onerat culpa tumultibus,
Tunc ô dulcis Imanuel,
Clementi pauidum lumine qui uides,
Aduoluor pedibus tuis,
Imploroq́ tuam motus opem fide:
Et certis precibus meis
Non te difficilem, ſed facilem fore,
Et promptum nimis obſequi.
Oro ô reffugium Chriſte fidelium,
Ne perdant animam meam,
Incautamq́ ſuis nexibus implicent
Vafri, qui mala dogmata
Et cultus atheos uiuifico tui
Pro ſermone ſerunt patris:
Immò perde, dolo quotquot agant malo,
Ac linguas acuunt ſuas,
Vt figmenta pia ſub ſpecie tegant.
Nam prodeſſe modò tibi
An poſſunt aliquo, qui populum tuum,
Quàm mendacia, nil docent?
Et uafris labijs condecorant ea,
Quorum lingua uomit necem,

Forti

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Forti miſſa uelut ſpicula dextera:
Nec non iuniperi modo,
Qui factus rutilum carbo fugit rogum,
Apparensq́; foris cinis
Flammas innocuo cortice clam tegit,
Occultoq́; nocet dolo.
Heu, quòd cum trucibus gentibus, horridam
Quales Moſcouiam tenent,
Nec non cum Scychico ſemine tam diu
Cum Turcis morer impijs.
Iam pluſquam nimium uiuo diu, tuam
Cum pacem lacerantibus:
Pacem, capta uorat quæ mea uiſcera,
Iram cum meditor patris
Horrenti uitijs intolerabilem:
Pax me tum reficit tua
Impetrata tuis Chriſte fidelibus
Morte & ſanguine proprio.
Quam cum ciuibus in circuitu meis
Narro, quo ſuperent metum:
Non tantum, nihili rem quaſi, negligunt,
Sed ſtrictis etiam foras
Armati gladijs proſiliunt truces,
Et pacare uitant minis
Ipſorum placido pectora nuncio.

o 2 ODE

ODE XV. Pſal. 121.

Leuabo oculos meos, &c.

Montes in altos lumina num mea
Leuare me uis, in quibus aurei
Fulgent boues, unaq́ uerbo
Sanctifico ſacra deſtituta?
An inde quicquam ſubſidij mihi
Sperem futurum? credo nihil minus:
Nam Chriſtus adiutor fideli
Vnicus eſt animo piorum.
Chriſtus beati conditor ætheris,
Cultæq́ terræ, qui uigil ipſe te
Seruat, nec admittet fidelem
Præcipitem ſemel ire peßum.
Non ecce ſomnum ſoluitur in pigrum,
Dulcem ue lethes potat aquam nigræ,
Seruator Iſraelis: hoc eſt,
Turba tuus moribunda tutor.
Tutor benignus Chriſtus adeſt tuis
Semper periclis. Chriſtus in omnibus,
Quæcunq́ tractabis, leuabit
Grata tuas uelut umbra curas.
Non Phœbus uret te grauis ob diem,
Non luna noctu: ſic tua te malis
Hic umbra cunctis liberabit,
Perpetuoq́ beabit æuo.

Hinc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Hinc arma uel cum dura qualis foris,
Domi'ue dulcem quando foues larem,
Te diriget clemens, tuiq;
Hinc ſtudioſus in omne tempus.

ODE XVI. Pſal. 122.

Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt.

O Quàm uiua meum gaudia cor mouent
Cœtus inter eos, qui mihi dictitant,
Mox intrabimus ædem,
Verbo quæ reſonet Dei.
O` noſtri breuiter peruenient pedes
Auguſtæ (cupidas in quibus unicè
Chriſtus detinet aures)
Ad portas Ieruſalem:
Viuis pumicibus quæ quaſi ciuitas
Permagno ſtruitur Chriſtiadûm grege,
Et quam pectore ciues
Concordi ſimul incolunt.
Huc huc turba fluit, turba placens Deo,
Vt uerbum Domini cœlitùs audiat,
Et collaudet amica
Chriſti nomina publicè.
Legatos ſiquidem deſtinat huc ſuos,
Legatos domui Chriſte tuæ pater,
Vt ſermone relicto
Errantes doceant uiam.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Ergo cuncta petent uota gementium,
Sit tranquilla tibi pax Ieruſalem:
Illi proſpera namq;
Qui te diligit, omnia.
Sit pax grata tibi, cum timidæ minax
Hoſtis bella mouet, grata ſit & tibi
Septæ mœnibus altis
Oro proſperitas domi.
Ob fratres, tenerè quos amo, paruulos,
Offenſi dubium ne retrahant pedem,
Pacem ſancta tuebor
Vrbs ſermone tuam pio.
Ob geſtata tuo uerba Dei ſinu,
Et cultus placitos omniſcio patri,
Semper commoda magno
Inquiram ſtudio tua.

ODE XVII. *Pſal. 123.*

Ad te leuaui oculos.

CHriſte qui nobis agis emporeo
Fidus in cœlo mediator, ad te
Vuidos noſtros oculos, & una
Corda leuamus:
Sicut obſeruant dominos beatos
Infimi ſerui, famulæq; rerum
Indigæ largis dominabus aſtant
Lumine cauto:

Ecce

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Ecce ſic & nos tibi ſupplicamus
Anxio uultu, neq; deſinemus,
Dum tuum cedes pariter fauorem
Motus, opemq́;.
Motus ô tandem, miſerere tandem,
Motus ô noſtri miſerere Chriſte,
Quippe iam probro uelut ulceroſa
Condimus ora.
Vita iam probro ſatiata longo
Noſtra ſuccumbit, ſatiata diro,
Fœtido morſu gregis, aq́; mundo
Spreta ſuperbo.

ODE XVIII. Pſal. 124.

Niſi Deus fuiſſet in nobis, &c.

SI non egenis mittit opem pater
Nobis ſupremus, dicite uos rogo,
Qui ſcitis experti fideles
Sub duce noſtra pericla Chriſto:
Si non egenis mittit opem pater,
Cum ſæua nobis inſtat inermibus
Mortalium, quæritq́; prauo
Turba necem celerare corde:
Quid obſtat illis, quo minus, ut libet,
Hiante uiuos gutture nos uorent,
Cum nemini parcant, marinas
Et numero ſuperent arenas?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Quid obſtat illis, quo minus ut citi
Abſorbeant nos fluminis impetus,
Et uictor ut torrens repertos
Gurgite præcipiti trucidat?
Certè tyranni nos premerent, aquæ
Modò, feroces, immò die ſimul
Nos perderent omnes in uno,
Ni Deus uſq; potens uetaret.
Laudamus ergo carmine te pater,
Qui non acutis dentibus hoſtium
Nos tradis unquam deuorandos,
Nec pateris ſemel ire peſſum.
Vt fraudulento ſub laqueo diu
Captæ uolucres nexibus euolant
Perſæpe ruptis, atq; grata
Denuò uoce tibi miniſtrant:
Sic impiorum nos quoq; uiuimus
Manu ſoluti præſidio tuo,
Fractoq; reti perſequentum
Dulce tibi modulamur hymnos.
Tu namq; rerum conditor omnium
Es ille, nobis qui famulis tuis
Aſsiſtis unus, quemq; ſancti
Mente fideq; precamur unum.

ODE

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE XIX. Pſal. 125.

Qui confidunt in Domino, &c.

Qui confiſa Deo pectora ſubleuant,
Non illos rapiet Styx inamabilis:
Verùm cum ſtabili rupe Sionia
Viuent ſecla per omnia.
Vrbem quippe uelut mons Ieruſalem
Circumquaq; feris munit ab hoſtibus:
Sic ſeruat Dominus cunctipotens ſuum
Nunc & perpetuò gregem.
Nam peruerſa ſua turba potentia
Iuſti conſilij non dominabitur:
Ne pronus ſceleri, tardus & ad bonum
Hinc quis fiat, & excidat.
Admirande parens ô Deus, adiuua
Nos ualde miſeros obſecro, qui pio
Te, ueroq; animo, non ut hypocritæ
Ficto corde, requirimus.
Feruens ira Dei conficiet ſimul
Hircorum reprobo cum grege, qui palàm
Inſeruit furijs: non minus, auia
Quotquot mente colunt Deum.
Verùm dulcis erit pax ouibus tuis,
Quæ parente tuam corde terunt uiam:
Quæ te Chriſte fide, quæ prece, quæ colunt
Cura deniq; proximi.

ODE XX. Pſal. 126.

In conuertendo, &c.

QVum Deus ſui gregis
Captiua iam olim corda, mox adeptis
Liberata uinculis
Verbi reducet ad ſui fluenta:
Quumq́ mitis & crucem
Noſtræ moleſtiam demet ultro carni:
Tunc meum tripudians
Ingente pectus gaudio ſtupebit:
Tunc & ora perpetim
Lætis ſonabunt noſtra cantilenis,
Et mouente carmine
Lenibit ægros noſtra lingua fratres.
Tunc & inter exteras
Stupente multi corde n ationes,
O` ſupremus, inquient,
Hos audit heros, his adeſt benignus.
Immò teſte pectore,
Canemus ipſi nos tua beatos
Adiuuante dextera,
Noſterq́ lætus hinc aget choreas
Abſq́ fine ſpiritus,
Suoq́ gratus concinet patrono.
Ergo mitis ô pater,
Vt ſole cancrum permeante torrens

Ari-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Aridopem uado:
Sic quæſo noſtros deme tu labores,
Et redire fac tuos
Captiuitate pauperes ſolutos
Ad beata dogmata,
Tuoq́ cultus ore conſecratos.
Cum labore plurimo
Aduerſa ſulcis grana qui recondunt,
Seminantq́ lachrymas,
Læti tumentes demetent ariſtas:
Sic & ipſe ſemina
Dum cara ſulcis in labore miſi,
Lachrymisq́ plurimis,
Reuertar ore lætus, & maniplos
Conferam lubens meos,
Tuaq́ pſallam dextera beatus.

ODE XXI. Pſal. 127.
Niſi Dominus ædificauerit, &c.

SI non omnipotens adſuerit tibi,
Succeſſum tribuens, ô ſapiens pater:
Nulla fruge laboras
Gubernare tuam domum.
Si non omnipotens aduigilet ſimul,
Luſtrans ſolicito mœnia lumine:
Nulla fruge coherces
Inſomneis oculos uigil.

Summo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Summo uana tibi cura crepuſculo
Surgendo radios uincere lucidi
Solis: quippe labore
Euitare nequis tuo
Aerumnam, ac lachrymas, quas pater, & pius
Et prudens oculis impoſuit tuis:
Merſos ipſe profundo
Ceu ſomno famulos iuuat.
Quin & progenies, turbaq́ pignorum,
Fœcundiq́ uteri fructus amabilis,
Ceu res ecce paterna
Et merces datur à Deo.
Vt certæ manibus ſæpe potentium
Vibratæ iaculæ ſic iuuenes quoq;
In certamina prompti
Subſunt imperio Dei.
Fœlix qui pharetram cœlitùs his ſuam
Impleuit iaculis: quiq́ ſcit, urbium
Rectorem eſſe, domusq́,
Se non poſſe citra Deum.
Non illi maculis tinget iners pudor
Maxillas, patiens quando uel in foro
Peruerſis, uel in alta
Porta ciuibus imperat.

ODE

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE XXII. Pſal.128.

Beati omnes qui timent Dominum, &c.

Foelix es ter & amplius,
Quiſquis non dubia mente colis Deum,
Illiusq́ teris uias:
Et qui munus obis pectore conſcio:
Sectarisq́ memor ſtatum,
In quo ſermo Dei lucet, & abdito
Te parêre uides patri.
Et quanquam tenuem parua uocatio
Det uictum tibi pauperi,
Sic ut non habeas unde uolens tuo
Acquiras alimoniam
Latranti ſtomacho ni manus impigra
Toto extendat opus die,
Ac ſudore breuem lenta paret cibum:
Fœlix es nimium tamen,
Dum niti Domino pergis, & obſequi.
Fœlix inquam es, & affluet
Hinc diuina tibi munificentia.
Intus grata quies erit,
Atq́ optata diu proſperitas foris:
Vxor cœlitùs addita
Opplebit uacuam prole tibi domum,
Vitis fructiferæ modo.
Quin gnatos etiam dulcia pignora,

Cen

Ceu plantas oleæ nouas,
Menſæ in circuitu ſtare uidens tuæ,
Et clamare famelicos
Almi regis ales munificentia,
Qua paruæ, & uelut abditæ
Victum ſufficient ſemper opes tibi.
Fœlix en adeò eſt homo,
Qui certo placidum corde timet Deum.
Atq; hac ſorte beet precor
Te, quemcunq; trahit uera beatitas,
Rerum conditor in Sion
Sacra rupe potens, & grege credulo:
Cumq; electa Ieruſalem
Diues non leuibus pollicitis Dei
Ponti tranſſiliet minas,
Et cunctis pelagi libera fluctibus
Ibit gurgite proſpero,
Tunc adiungat ei te Deus inſuper,
Muroq; eius ahæneo
Septum perpetua liberet à nece:
Quin tam lentum etiam tibi
Huius curriculi poſtulo terminum,
Vt natis ui deas ſenex
Accreuiſſe tuis progeniem nouã:
Ac fœliciter interim
Credenti uideas omnia cœtui

Inſer-

Inſeruire ſimul bona,
Tranquillaq́; hilares pace frui pios.

ODE XXIII. Pſal.129.

Multum tribulauerunt me,&c.

ANnis à teneris uſq; pericula
Hoſtis multa mihi noxius intulit:
Vnuſquiſq; fidelis
Sic nunc ex animo canat.
Annis à teneris uſq; pericula
Hoſtis multa mihi noxius intulit:
Verùm tradere morti
Nullo me potuit modo.
Immò tam grauiter me premit impius,
Vt dicas meritò hunc, inſtar arantium,
Longos ducere ſulcos
Per dorſum immeriti meum.
Sed iuſtus Dominus, qui patitur ſuo
Nunquam præſidio deſtitui pios,
Conſpirata retundit
Cœtus prælia reprobi.
Nam quicunq; Sion, atq; fidelium
Oderunt populos, ij dubio procul
Tandem turpe rubebunt,
Fruſtratiq́; prement gradum.
Fientq́; aſsimiles exorientibus
In tecto ſterili graminibus loco,

Quæ

Quæ flaccere, priuſquam
Decerpat pecus, aſpicis.
Et quæ Phœbe tuis diruta ſpiculis
Meſſorum uacuas ſuffugiunt manus,
Illiusq́, maniplos
Quiſquis colligit, horreum.
His non ora canunt prætereuntium:
Sit diuina ſuper uos benedictio,
Vobis proſperitatem
A` ſummo petimus Deo.

ODE XXIIII. Pſal. 130.

De profundis, &c.

HAc in profunda qui iaceo Styge
Ferè ſepultus, dum mea crimina,
Iuxtaq́, perpendo ſeueri
Iudicis horibilem furorem:
Ad te reluctans Omnipotens pater
Suſtollo pectus, teq́, (tui pigrum
Fiducia ſenſim mouente)
Inuoco ſupplicibus querelis.
Benignus illas tu Deus accipe,
Aureſq́, tandem fac pateant tuæ
Mœſtæ precum uoci mearum,
Et facilis mea uota penſa.
Nec quanta nobis praua patrantibus
Tranſgreßionum ſarcina triſtium

Por-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Portetur, attento ſeuerus
Lumine quæſo uidere pergas.
Id namq; iudex ſi facies grauis,
Quis ſtare coram te poterit Deus?
Quis corde certo te precari?
Viuit enim ſine labe nemo.
Sed dulcis adſit cum tibi lenitas,
Spectesq; Chriſtum progeniem tuam,
Noſtrumq; iuratum Patronum,
Cur mihi tum fugiendus eſſes?
Nunquam profectò te fugiam pater,
Sed inuocabo fortiter, & colam:
Nec deſinam ſperare, donec
Auxilium tuleris petitum.
Quieta tardum mens Dominum mea
Expectat uigens ipſius inclyta
Promiſſa, quæ promptum recenſet,
Expoſitumq; iuuare quoſuis.
Quieta tardum mens Dominum mea
Expectat, inſtans certius & ſimul
Ardentius, quàm feſſus orat
Dulce uigil properare mane.
Et tu, (tametſi tardior aduenit
Perſæpe) quiſquis te populo tamen
Saluandus adiungis fideli,
In Domino ſine fine ſpera.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Nullius unquam lingua uidelicet,
Referre quibit, quàm facilis Deus,
Quàm ſit benignus pœnitenti,
Quodq́ mero redimat fauore.
En ipſe turbam cunctipotens Deus,
Paterq́ iuxtà munificus, ſui
Fiducia nati placentem
Omnibus à uitijs redemit.

ODE XXV. Pſal. 131.
Domine non exaltatum, &c.

NOn ego ſum ferocis, (actis
Tu Deus iudex, animi, ceu bene rebus
Omnibus, & coronam
Non meis ullam meritis audeo polliceri:
Sed tua me notatis
Ira conturbat uitijs, & prohibet ſoluta
Pectora ſubleuare:
Idq́ fit iuſte: niſi enim reprimerem tumentes,
Ac uigil amouerem
Spiritus, tu iure etiam me Deus amoueres:
Vt puer à parentis
Lacte, iam fortis, nimio diſtrahitur rigore.
Aſt ego malo lacte,
Quàm tuo, noſtro Deus, & præſidio carere.
Vnica ſpes ſalutis
Tu meæ, qui uel tacito ſæpe reum tumore

Suſcipis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Suſcipis ut nitentem:
Immò qui toti populo mitis ades fideli,
Et ſine fine ualde
Semper indulgens aderis, ſpesq́ ſalusq́ noſtra.

ODE XXVI. *Pſal.* 132.

Memento Domine Dauid, &c.

DAuidis memor eſto Deus, qui pectore le-
Mille cruces tulit ob pietatem: (ni
Iurabat ſe nolle ſuos intrare penates,
Et tenerum conſcendere lectum,
Optatumq́ ſuis oculis admittere ſomnum,
Dum tibi non erexerit ædem.
Et nunc ecce illam nacti ſumus, & uenerati
Sacra tuis habitacula plantis.
Surge igitur Deus, et placidus tibi condita ſerua
Templa, tuo cum ritibus ore
Prolapſis. Simul & lectis infunde miniſtris
Iuſticiam, & pia gaudia ſanctis.
Ne' ue tuos auerte, memor Dauidis amati,
Haud mendax quòd ſcilicet illi
Iuraris, eius regali in ſede futuram
Progeniem, ſerosq́ nepotes,
Dum tua ſeruarint animo tamen integra pacta
Morigero, quæ legiſer unus
Tu mandas. namq́ electam Siona colentes
Diligis, exoptasq́ placentem

Illam longa tibi ſedem per ſecla manere,
Vt miſeris ibi proximus adſis.
Hæc, ais, eſt requies mihi dulcis. in hacce placente
Semper ero Deus incola rupe.
Augeboq́; cibum pius hanc ſpectantibus arcem,
Atq; horum largibor egenis
Panem, flaminibusq́; inibi cumulabo ſalutis
Noticiam, diuturnaq́; ſanctis
Gaudia, poſt triſtes quibus exultare labores,
Poſtq́; cruces ſine fine licebit.
At Dauidi, meo qui rex fuit unguine dictus,
Producam cornu, atq; lucernam
Tempore poſt longo reliquã: & quicũq; reſiſtet
Hoſtis ei, diſcedere cogam
Retro pudore graui perculſum: ſed ſuper eius
Progenie diadema manebit.

ODE XXVII. Pſal. 133.

Ecce quàm bonum, &c.

O Quàm res bona, & utilis,
Ac iucunda pijs eſt animis, ubi
Concordes habitant ſimul
Illi, quos eadem lapſa ui delicet
Alto relligio polo,
Ceu fratres laqueo nectit amabili.
Nam ſic lucidioribus
Veri noticies uberior Dei

Mem-

Membris indita labitur,
Prono colloquij gurgite mutui,
In cor fratris adhuc rudis,
Inflammantq́ ſua mutuò ſe face.
Vnguentum uelut optimum
Infuſum capiti primùm Aaronio,
Barbam mox uenerabilem
Decurrens lachryma præcipiti rigat,
Atq; oras etiam togæ: &
Ceu ros Hermonio & collibus influit
Illa nocte Sionijs,
Qua iunctus Boreas mitior it Noto:
Sic iſtis Dominus ſuam
Inprimis tribuit munificentiam,
Et uitam, ſimul omnia
Quæ nullo peraget ſecula termino.

ODE XXVIII. Pſal. 134.

Ecce nunc benedicite, &c.

NVnc agite ô fidi benedicite ſeruuli magi-
Quicunq; in eius congregatione (ſtro,
Statis, & erecto nō putrida corde membra ueſtro
Deſideratis uertici placere: (ctus,
Et licet interea turbet graue nox profunda pe-
Et culpa uiuax territet, minaxq́ (precari
Vindicis ira Dei, uel crux premat, haud tamen
Ceſſate multis obruto tenebris

 Ore:

Ore: ſed inuinctas nihilo minus eleuate palmas
Ad conſtitutum ſontibus patronum.
Qui uelut Hebræos, quōdā breuis arca teſtimoni
Nos admonet iam fœderis perennis.
Et ſimul, humanè quæ poſcitis accipi ſcientes,
Efferte mitem laudibus parentem.
Nos certè æternū gratos tibi concinemus hymnos
Supreme cœli factor, atq; terræ.

ODE XXIX. Pſal. 135.

Laudate nomen, &c.

QVi Dei templum colitis miniſtri,
Illius nomen celebrate. namq; eſt
Mitis, & ſuauis, reputatq; turbam
Nos adamatam.
Cerno quòd magnus Deus, & deorum eſt
Summus, & quodcunq; placet patente
Condit in mundo: parit ecce nubes,
Fulguraq; imbris
Nuncia, & uentos: necat omne primo
Natum in Aegypto, atq; ibi multa mira
Præſtitit coram Pharaone, ſeruisq;
Omnibus eius.
Plurimas gentes, ualidosq; reges
Fregit: & quicquid Canaan, Baſanq;,
Atq; Amorrhæus tenuit, ſuorum
Vertit in uſum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Hinc tuum nunquam Deus alme nomen
Excidet nobis, quia iudicare
Surgis electum populum, tuisq́;
Parcere ſeruis.
Gentium factæ ſtatuæ metallo
Arte mortali, nequeunt uidere,
Nil odorantur quoq;, nilq́; fantur,
Sed neq; ſpirant.
Talis euadat, malè quiſquis iſta
Fingit, ac ſpe ficta colit caduca.
Vos at Iſrelis domus, & Leuitæ,
Stirpsq́; Araonis,
Et ſimul quotquot Dominum timetis,
Hunc celebretis precor in Sione:
Iugis huic dicenda Ieruſalaim
Laus habitanti.

ODE XXX. Pſal.136.
Confitemini Domino, &c.

PLebs pia pange Deũ, quia mitis, & omnia
Nitebit eius lenitas in ſecula, (nobis
Pange Deum regem regũ, Dominũq́; ſupremum:
Perennis eſt enim ipſius benignitas.
Qui miranda facit ſolus miracula rerum,
Decente ſolis & creauit ordine
Lumen, & impoſuit ſolũ aquis, iuſsitq́; lucernam
Phœbum diei, noctis eſſe Deliam,

Stellasq́. Hic primogenitos Memphitidis oræ
Necauit: Iſrael potente brachio
Hoſtibus è medijs abduxit, aquasq́ per altas,
Ceu prata, ſiccis ire ſecit artubus.
Aſt atheos atheo cum principe merſit in undis,
Forasq́ chara fidus egit agmina.
Hic magnos, fortesq́ duces, Sehon Amorrhæũ,
Ogemq́ regem Bazan impulit Stygi.
Hic nos, cum premimur, ſublimi ſpectat ab axe
Benignus, eruitq́ perſequentibus,
Cunctaq́ perpetuò fouet hic animantia uictu:
Perennis eſt enim ipſius benignitas.
Pangite cœlorum Dominum, qui regnat in arce:
Benignus eſt enim, & manebit perpetim.

ODE XXXI. Pſal. 137.

Super flumina Babylonis.

CHaldæa iuxta flumina ſedimus
Collachrymantes, quando ſubijt Sion,
Suſpendimusq́ illic in altis
Ilicibus citharas canoras.
At perſecutor carmina nos ibi, &
Loco doloris lætitiam rogans:
Cantate nobis, inquit, illas,
Quas patria ceciniſtis odas
In rupe. Verùm quomodo nos Dei
Læto canemus pectore canticum,

Terram

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Terram peregrinam uidentes,
Et populum pietatis hoſtem?
Si tu Sion chara excideris mihi,
Dediſcat artem hæc dextera muſicam,
Hæc lingua labens obticeſcat,
Si lachrymante Ieruſalaim
Solamen ullum admiſero. tu Deus,
Quo deſtruetur capta Sion die,
Vindex Edumeis abito,
Exitio date, quando clamant.
Vaſtata planges gens Babylonica:
Fœlix uiciſsim, qui tibi erit grauis,
Et franget infantes atroci
Mente tuos ad acuta ſaxa.

ODE XXXII. Pſal. 138.

Confitebor tibi in toto, &c.

TOto ſumme canam pectore te Deus,
Te coram ſatrapis laude ueham, ad tua
Pronus templa precabor,
Et nomen referam tuum:
Quòd clemens, fidei ſis quoq; tu bonæ:
Nam ſermo procul, & nomen abijt tuum,
Et me robore mentis
Dilatas tibi ſupplicem.
Hinc terræ proceres te ſimul efferent
Sermonem quoties audierint tuum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Atq; in tramite pſallent
Recto grande decus tuum.
Tu celſus Deus es tuq; humiles uides,
Elatosq; procul deſpicis, in cruce
Dum uerſabor acerba,
Tu me uiuificaueris.
Prauos dextra premit, me releuat tua:
Es uindex Deus, & iugiter es pius,
Ne me dextera, quæſo,
Quem fecit tua, ſpreueris.

ODE XXXIII. *Pſal. 139.*

Domine probaſti me.

TV me ſollicito lumine reſpicis,
Siue errans cado, ſeu rectus eo Deus,
Quæ uel cogito tu cernis iter meum
Dux, atq; accubitum regis.
Tu ſcis quicquid ago, uerba tibi mea
Conſtant omnia, me retrò Deus meus,
Atq; à fronte creaſti, atq; mihi tuam
Inieciſti inopi manum.
Me miranda latet cognitio tui:
Quò me abdens faciem fugero rex tuam?
Si cœlos nitidos, ſi barathrum petam,
Præſens numen erit tuum.
Cum ultra mare, me diriget & tua,
Deducetq; manus: ſi tenebris quoq;

Occul-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Occultabor, erunt lucidus ut dies,
Et prodent tibi me reum.
Nam tu cor meum habes, ô Deus, in manu:
Tu me matris item uentre meæ tegis:
Te pſallam, quia me mirificè creas:
Sunt mira acta, ſcio, tua.
Dextra quando nigris artifici tua
Formabar ſpecubus, tu mea uideras
Vel cuncta oſſa, etiam fœtus adhuc rudis
Totus notus eram tibi.
O quàm ſuaue mihi conſilium tuum eſt?
Id perpendo libens: non tot arenulæ
Sunt in littore, quot mira Deus tua:
Conſtanter uaco ijs uigil.
Ô ſi concilium ſtraueris impium:
At me ſegrega ijs, qui tua nomina
Blaſphemo maculant gutture, ſanguinis
Et pugnant auidi tibi.
Hoſtes nónne tui ſunt odio mihi?
Nónne indignor eis, qui tibi ſunt graues?
Immò totus eos execror, & mihi
Sunt inſenſa uelut phalanx.
Cauto inquire Deus lumine cor meum,
Et quæ facta gero, ſemitaq; inſpice
Num ſit praua mihi, & dirige me uagum
Aeternam pius in uiam.

ODE

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE XXXIIII. *Pſal. 140.*

Eripe me Domine ab homine malo.

PRauis omnipotens eripe me uiris,
Qui ſub corde dolos, & mera prælia
Voluunt, & uelut angues,
Linguas exacuunt ſuas.
Virusq́; aſpidis ex ore uomunt ſuo:
Serua me Deus à concilio malo,
Quod fatale minatur
Plantis rete ferox meis,
Imponitq́; meæ ſcandala ſemitæ.
Atqui tu mea ſpes, atq; ſalus, meas
Audi Chriſte querelas,
Belli & tempore me tege.
Ne deſiderium de reprobo ſuum,
Ne ue ipſum tumidum feceris obſequens:
At dux ille nocentum
Labris intereat ſuis.
Igni abſume malos, inq́; lacum grauis,
Ne ſurgant iterum, deijce: non placet
Vir linguoſus in orbe,
Iniuſtumq́; manent mala.
Noui quòd facies iudicium Deus,
Vindictamq́; inopum. Iuſti igitur tuum
Pangent nomen, & ore
Coram ſemper agent tuo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE XXXV. Pſal.141.

Domine clamaui ad te,&c.

TE Deus oro, citò mea ſuſcipe uota precātis,
Oratioq; ſit mea
Grata tibi. Nocturna ſit & quaſi uictima, puras
Manus precando tollere.
Linguā quæſo meam cohibe, me: labra refrena,
Ne corde prono rem parem
Cum reprobis patrare malam, nec inania cæcus
Admittam eorum gaudia.
Increpet opto piè me iuſtus, at horreo blandas
Palpationes impij.
Dira malis precor, utq; ruat caua ductor eorum
Per ſaxa, quo ſic audiant
Suauia uerba mea. en, ut cum ſidit arua colonus,
Sic fracta, & Orco proxima
Oſſa iacent mea. te uideo, te ſpero redemptor,
Ne dede quæſo me neci.
A` laqueo poſito mihi, me defende, malorum,
Et machinationibus.
Illorum in foueam cadat impia turba: ego uerò
Illæſus illam tranſeam.

ODE XXXVI. Pſal.142.

Voce mea ad Dominum,&c.

AD te uociferor Deus,
Te uotis onero, te querimonijs,

Te

Te coram refero meas
Aerumnas, ubi mors me fera territat.
Conſtat uita tibi mea:
Cur quæſo laqueis impedient uias,
Per quas ibo? nihil ſubit;
Quo me cunq; oculis uerto meis, opis.
Intercluſa mihi fuga eſt,
Nec preſſo quis adeſt, inuoco te Deus:
Tu ſpes una mihi nites.
Tu, dum ſpiro, mea es portio, tu meis
Votis annue, nam premor.
Me ſerua à nimium fortibus hoſtibus,
Cæcoq; eripe carceri:
Tunc pſallam tibi, tunc me repetent pij.

ODE XXXVII. Pſal. 143.

Domine exaudi orationem meam, &c.

AVdi uota parens, atq; preces meas
Verax, ac tege me iuſtitia tua,
Nec me quæſo ſeuerus
Horrentem argue crimine.
Quippe haud iuſtus erit iudicio tuo
E` uiuis aliquis, quàm nece me premunt
Hoſtes, inq; tenebras
Abdunt ceu tumulo datum?
Hinc iam deficio, cor trepidat mihi,
In mentem ueniunt priſtina tempora,

Vol-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Voluoq́ omnia facta
Hoc ſub corde Deus tua.
Te cedente Deus mens mihi tanquam humus
Aret ſicca, citò reſpice me, mihi
Mens eſt languida, ne te
Auerſo in foueam ruam.
Te fido, liqueat mî pietas tua:
Te quæro, quod eam pande iter inſcio:
Sub te condor, amaris
Me quæſo hoſtibus eripe.
Facto implere doce me, tibi quod placet:
Nam dux es meus, & ſpiritus eſt tibi
Sanctus, quæſo uagantem
Recta dirige me uia.
Quin & uiuifica, ſolueq́ me cruce
Mitis, iuſtificansq́, & pius, hoſtibus
Me defende repreſſis:
Subdor namq́ tibi cliens.

ODE XXXVIII. Pſal.144.

Benedictus Dominus.

CAntandus es tu petra Deus mea,
Præclara qui me bella doces, mihi
Tu ſpes, aſylum, liberator
Et clypeus, cui nitor uni.
Tu ſubditos mî concilias. quid eſt
Homo, quod illi parcis? Inanitas

Eſt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Eſt ipſa, & euaneſcit eius
Vita etiam breuis, inſtar umbræ.
Deſcende conſciſſo æthere, fumigent
Tangente te mox: & iuga montium
Hoſtesq́ terræ fulminando,
Mißilibusq́ fuga ſagittis.
Lacertum ab alto pande tuum, ac aquis
Me ſolue multis, ac populo extero,
Qui uana profert ore uerba,
Quiq́ nefas patrat omne dextra.
Nouo Deus te Pindaricam ad lyram
Cantabo ſemper carmine, regibus
Cum des ſalutem, cumq́ fidus
Enſe tuum famulum à malorum
Dauida ſalues, meq́ tyrannica
Ab impiorum ſurripias manu,
Qui uana lingua proloquuntur,
Quiq́ patrant ſcelus omne dextra.
Sunt, ut nouellæ pignora plantulæ
Noſtra in iuuenta, ſunt quoq́ filiæ
Comptæ, inquiunt, noſtræ angelorum
More, domum Domini æmulantum.
Sunt promptuaria plena aromatibus,
Nouisq́ abundant perpetuò cibis:
Grex noſter edit mille fœtus
Noſtra per arua, bouesq́ noſtri

Sint

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Sint craſsi. Et urbem quis gregis occupat
Praui, atq; ciues, captat & excitat
Planctum. beati, his affluentes:
Immò quibus Deus eſt benignus.

ODE XXXIX. Pſal. 145.

Exalatabo te Deus, &c.

TE canam regem Deus abſq; fine,
Et tuum nomen modulabor. ingens
Valde es, & laudabilis, atq; captu
Grandior omni.

Gens, opus, roburq́; tuum ſtupebit
Omnis, & mirum recolent honorem,
Ac tuum uerbum pauidi eloquentur,
Vimq́; tremendam.

Et tua rapti pietate iuſtum
Te canent. clemens, placidusq́; rex es,
Et bonus cunctis, tua geſta uincit
Omnia candor.

Acta te pangent tua, lenitasq́;:
Hinc tuum regnum placidum fideles
Efferent, quo te fateatur omnis
Natio regem.

Non tui finis ueniet ruentis
Imperî. nam tu uenerande cunctos
Erigis lapſos Deus, & mederis
Omnibus ægris.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Omnium uultus tua dona ſpectant,
Tuq; opportunè tribuis quibuſuis
Omne quod poſcunt, ſaturasq; uictu
Cuncta animata.

Iuſtus eſt ſemper Dominus, facitq;
Mira conſtanter, ſimul audit aure
Quoslibet prona ſibi ſupplicantes
Pectore uero: &
Qui timent ipſum, dat ijs petita,
Audit illorum ſimul & precatus,
Deniq; & ſeruat: Deus, ipſum amantes
Adiuuat omnes.

At malos perdit grauis. Ore laudes
Hoc Dei pſallam: canet omnis eius
Inclytum nomen caro recreata
Omne per æuum.

ODE XL. Pſal. 146
Lauda anima mea Dominum.

CHriſtum extolle ſuis mens mea laudibus:
Extollam Dominũ, dum ſuperauero,
Dum ſpirabo ſuperſtes
Te cantabo Deus meus.

Mortali fuge tu principe fidere,
Nam ſeruare nequit, mox erit & cinis,
Et quod cogitat, uno
Sæpe hoc omne perit die.

Fœlix

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Fœlix qui placido numine ſpem locat,
Confiditq́ Deo, qui facit & polum,
Et terram, & mare, & horum
Quicquid continet ambitus.
Seruat namq; datam perpetuò fidem,
Atq; afflicta leuat corda, famelicos
Nutrit pane, ligatis
Ipſe & uincula diripit.
Cæcorum reſerat lumina, ſubleuat
Collapſos Dominus, diligit & pios,
Conſeruat peregrinos,
Et ſpretam uiduam iuuat.
Verùm concilij membra dat impij
Vindex exitio. Sic tuus ô Sion
Rex electa, Deusq́;
Regnat ſecla per omnia.

ODE XLI. Pſal. 147

Laudate Dominum, qui bonus, &c.

CHriſtum pangite: nam bonum eſt
Miti pſallere iudici:
Et laudatio numinis
Eſt laudanda, decensq́;.
Sacram hic ædificat Sion,
Diſperſosq́; recolligit
Iuſtos, cordeq́; ſaucijs
Curat uulnera cæca,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Stellarum numerat gregem,
Atq; illis ſimul omnibus
Ponit nomina, lucidi
Mundi conditor ingens.
Hic & fortis, & omnium
Vel captu ſapientior,
Deiectos Deus erigit,
Contunditq́; prophanos.
Illi dicite carmina
Gratatoria, qui polum
Veſtit nubibus, ac humo
Imbres fundit, & altis
Herbas montibus impluit:
Qui cunctis animantibus,
Ceruorum & ſimul eiulant,
Pullis pabula præbet.
Illi non equus adplacet,
Illi tibia non uiri:
Sed quiſquis Dominum timet,
Et ſpem figit in illo.
Lauda grata Ieruſalem,
Decantaq́; Deum tuum:
Portas roborat en tuas,
Nec non ciuibus & tuis
Quæuis munera fundit.
Dat pacem undiq;, dat tibi

Fru-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Frumentum quoq; largiter:
Terram affatur, & ipſius
Currit ſermo, citò niuem
Demittit quaſi lanam:
Et ſpargit nebulam horridam,
Et conſtringit aquas gelu: &
Quis, quæ frigora dat, ferat?
Verbo mox glaciem fugat,
Ventoq; incitat undas.
Nam pandit Iaacob ſuum
Verbum, iudicia & ſua
Iſraeli: ita cæteris
Non facit populis, quibus
Nulla arcana reuelat.

ODE XLII. Pſal. 148.

Laudate Dominum de cœlis, &c.

COelitùs regem celebrate Chriſtum
Angeli cuncti, modulentur illi
Luna, ſol, ſtellæ, polus, & ſupernæ
Carmina lymphæ.
Solo enim uerbo Deus illa fecit,
Et rata certum dedit hiſce curſum
Lege: de terra canat omnis illum
Bellua ponti,
Grando, nix, ignis, uapor, auſter, eius
Nuncij, ac omnis quoq; mons, & arbor,

Vtilis, cedriq́ʒ, feræq́ʒ, & omne
Reptile, auesq́ʒ.
Principes terræ quoqʒ, iudicesq́ʒ,
Et duces, nec non populi mares &
Fœminæ ſummum, iuuenes, ſenesq́ʒ
Pangite regem.
Solus hic cœlo nitet, atqʒ terra
Hic ſuum exaltat populum, ſuisq́ʒ
Suggerit ſanctis placidus propinquæ
Carmina turbæ.

ODE XLIII. Pſal. 149.

Cantando Dominum, &c.

CAntate carmen quæſo Deo nouum,
Ipſumq́ʒ ſancto pangite cum choro:
Lætetur Iſrel conditore,
Rege ſuo quoqʒ gens piorum.
Nomen ſacratæ carminibus lyræ
Vulgetur eius. Namqʒ ſuos amat,
Grataq́ʒ mœrentes benignus
Ac humiles recreat ſalute.
Hinc glorioſe ſanctus ouet chorus,
Superq́ʒ lecto uoce Deum canat
Læta, prophanosq́ʒ ultor omnes
Ancipiti gladio trucidet.
Stringatq́ʒ eorum compedibus duces,
Ferroq́ʒ duro, iudicioq́ʒ eos

Perdat

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Perdat notata in lege ſacra:
Omnibus hoc decus eſto ſanctis.

ODE XLIIII. *Pſal.150.*

Laudate Dominum in ſanctis.

PAngite heus Chriſtum, quia rex Olympi,
Sedis eſt ſacræ: celebrate Chriſtum,
Nam potens eſt, & ualida creauit
Omnia dextra.
Pangite hunc clangore Deum tubarum,
Et lyra, & plectro memorate laudes
Illius, chordis quoq;, & organorum
Voce canora.
Pangite ô iuſti Dominum ſonoris
Tympanis. Grati modulamini illi
Cymbalis lætis: animata pangant
Omnia Chriſtum.

Carminum Dauidicorum Finis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

CARMINVM BIBLICORVM LIber Sextus.

ODE I. Exod. 15.

Cantemus Domino, &c.

Canticum Iſraelitarum.

GRatamente canam Deo,
Nam ſumma micuit magnificentia
Nobis, & reprobi gregis
Alto immerſit equos ac equites mari.
Et robur Deus, & mea
Laus eſt, atq; ſalus, hic ſimul & meus,
Et patris Deus eſt mei,
Ipſum perpetuis laudibus efferam.
Vir pugnator hic eſt Deus:
Nam currus Pharios, agminaq́; & duces
Claros illius eminens
Rubrum præcipites impulit in mare,
Impulſosq́; aqua ceu grauem
Abſorpſit ſilicem: dextra Deus tua
Laude, & uiribus inclyta
Fatum triſte tuis attulit hoſtibus,
Deſtruxitq́; nocentium

Tur-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Turbam: illapſus eos cœlitùs obruit,
Ignis more, furor tuus.
Collectæq; tua ui coiere aquæ,
Dum, ceu murus aheneus,
Diuiſo ſteterant mirificè mari
Erectæ. hoſtis ait, Sequar,
Prædam diripiam, ditior hinc ero,
Et ſtringam gladium, & manu
Hac illos perimam. Sed Boreas tuus
Ponto immerſit eos, grauéq;
Vt plumbum tumidis fluctibus abdidit.
Quis te uiribus è dijs
Aequet? Magnificus, terribilis, bonus,
Et laudabilis es pijs,
Et miranda patras, & premis impios.
Clemens dirigis & potens
Electum populum ſancta tua ad loca.
Gentes id ſimul audiunt:
Turbantur, pauitat natio territa
Philiſtina: duces Edom,
Et Moab trepidant, tota tremit metu
Gens Phœnicia. Da grauis
Formido attonitos reddat eos Deus,
Fac ſaxi rigidos modo
Dextra magnifica, dum tuus inuia
De ſudat populus tibi

Dum iurata phalanx tranſit, at effice
Nos in monte tibi ſacro,
Vnde oracla pijs tempore pòſt breui
Tanquam ex æde dabis tua,
Plantemur ſtabiles fide precor comes.
Rex in perpetuum eſt Deus,
Nec finem imperium ſentiet illius:
Hinc currus Pharao ſuos,
Armatosq́; equites, ac pedites mari
Commiſit, quum eos aqua
Conuerſo interimit gurgite. Filij
Verò Iſrelis obambulant
Siccis undiſonum per mare cruribus.

ODE II. Deut. 32.
Audite cœli quæ loquar, &c.
Canticum Moyſis.

AVdite cœli, quæ loquar, & mea
Perdiſce tellus uerba, ſimul mea
Doctrina, ſicut herba rore,
Et pluuijs madefacta creſcit.
Deo miniſtro cedite gloriam,
Ipſi creanti cuncta bene, ipſius
Cuncta approbantur uerba, uerax
Eſt Deus, & citra iniquitatem.
Eſt iuſtus, æquusq́;: at maculis ſuis
Offendit ipſum progenies notha,

Stirps

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Stirps praua, gens peruerſa, ſtulta
Siccine gens colis & parentem
Tuum, & patronum, quiq; ſua manu
Te finxit? antiqua inſpice ſecula,
Et quære priſcorum parentum
Scripta, Deiq; ita mira diſce.
Gentes ubi almus diuideret Deus,
Tot incolendas præbuit his plagas,
Quot filij Iſrael in Aegyptum,
E Canaan fame macerati
Venêre. Nam cum prole Iacob ſua
Hæreditatem ſuſcipit in ſuam:
Inuenit hos in uaſto eremo, &
Ductor eis fuit, atq; rector.
Munijt & ipſos, tanquam oculum ſuum,
Vt adminiſtrans fulmen auis, ſuos
Emiſſa pullos ad uolandum
Prouocat, ac humero, ac utraq;
Fert fortis ala. Solus eos Deus
Ducebat, ipſi nec ſocius deus
Erat peregrinus, ferebat
Solus eos Deus in fluentem
Præ melle terram, præq; oleo è petra,
Largoq; frumento, & butyro boum,
Craßisq; iumentis, & hircis
Aptam, ouibusq;, meroq; Baccho.

Facti

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Facti inde pingues, & ſaturi bonis,
Recalcitrarunt, atq; Deo ſuo,
Qui finxit ipſos, reſtitere, &
Deſeruere patrem benignum.
Mouereq́; illi ritibus impijs
Iram, Ethnicorum dum colerent Deos,
Paßimq́; diris immolarent
Dæmonijs, Dominumq́; nollent
Scire: at recentes, & malè patribus
Veſtris placebant cogniti. at hunc Deum
Qui uos creauit, condiditq́;,
Spernitis, eq́; animo fugatis.
Hinc bile uindex intumuit Deus
Peruerſa cernens pignora, &: Abditus
Tandem quid ipſis ſit futurum
Videro, ait, quia ſunt maligni,
Genſq́; infidelis. porrò mihi ut graues
Falſis dijs & fuſilibus litant,
Sic gente ſtulta prouocabo,
Perq́; atheum manum eos laceßam.
Exarſit, ignis more furor meus,
Ardendo & illos in Styga deferet:
Terram, eius & fructum uorabit,
Viq́; ſua caua pandet antra.
Affligam eos, ac tela in ijs mea
Conſumam, & ipſos peſte, fame, & ſiti,

Morſu

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Morſus & uolucrum, & beſtiarum,
Reptiliumq́ premam ueneno.
Deperdet illos mucro foris, pauor
Torquebit intus tam iuuenum chorum,
Quàm uirginum, infantem, ſenemq́
Conteram eos, hominumq́, dixi,
De corde tollam. Ne tamen hoſtibus
Cedat ſuperbis gloria differam:
Nam mundus omni deſtitutus
Conſilio manet imperitus.
O` fata docti ſi ſua cernerent,
Et præcauerent, incuteret uiris
Quî mille terrorem unus, illos
Ni ſuus abijceret redemptor?
Haud noſter illorum eſt ſimilis dijs
Iudex. At iſti ſunt Sodomitica
Propago, ſunt ciues Gomorræ,
Geſtaq́ fel ſapiunt eorum.
Vinum quod ipſis naſcitur, aſpidis
Vincit uenenum: nónne mihi patet?
Ipſe ultor, ipſe illis rependam:
Tempus adeſt propè, quo peribunt.
Nam iudicabit rex populum ſuum,
Seruisq́ tandem lenis erit ſuis.
Nam cernet infirmos, & omni
Subſidio, ac ope deſtitutos.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Dicetq́ꝫ: Veſtri nunc ubi ſunt dij,
Quo freti eratis, queis modò uictimis
Tum farre, tum uino litaſtis?
Iam ueniant ope uos leuatum.
Scitote quòd ſim ſolus ego, & mihi
Non adſit ullum numen: ego & neco,
Et reddo uitæ, uulneroq́ꝫ, &
Sano, meo neqꝫ quem lacerto
Quis liberarit. Cœlo ego ſum potens,
Et uiuo ſemper. cum ueniam ignea
Tandem ultor ira, tum ſuperbi
In nihilum redigentur hoſtes,
Me quotquot horrent. Sanguine erunt meæ
Tinctæ ſagittæ, mucroq́ꝫ edet meus
Captûm, peremptorumq́ꝫ carnes,
Trunco etiam caput hoſti ademptum.
Laudate gentes huius oues Dei,
Fuſi ſuorum ſanguinis ille enim
Eſt ultor, hoſtilemq́ꝫ turbam
Punit, adeſtq́ꝫ pijs benignus.

ODE III. Iud. 5.

Qui ſponte obtuliſtis.

Canticum Deboræ & Barac.

SPonte cum ſeſe populo offerente
Iuuit Iſrael Deus, hunc potentes

Pangite,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Pangite, ac audite: Ego nempe Chriſto
Carmina pſallam.

Cum Deus de Seir & Edom migrabas,
Terra concuſſa eſt, pluuiaeq́; lapſæ
Nubibus, montes ſaliere, lata
Lege ſeuera.

Sangari ſeclo, uia recta prorſus
Horruit, fortisq́; piusq́; nullus
Extitit, donec micuit piorum
Debora mater.

Bella dat Chriſtus noua, iamq́; portas
Hoſtium fregit ſine ſcuto & haſta:
Principes Iſrel amo: ſponte moti
Pſallite Chriſtum.

O uiri fortes prope Middin orti,
Vos Deum iuſtum placidumq́; nobis
In uia cantate, ubi uictus hoſtis,
Gens pia uicit.

Debora exulta, modulare Barac,
Ac tuos captos age: nam feroces
Vicimus parui, Domino supernè
Subueniente.

Ephraim & Beniamin ei miniſtrant,
E' Machir adſunt, Zabulonq́; fortes,
Iſſachar miſit proceres pericla ad
Omnia promptos.

Ruben

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Ruben haud uenit reputatus acer:
Terminos inter duo cur moramur,
Tergiuerſantem licet acer audit,
Ferre Reuben?
Trans Iordanem Galaad manebit,
Dan caret claſſe, eſt prope littus Azer:
Nephtalim uerò, Zabulonq́ quæuis
Fata ſubibant.
Dimicant nobis ad aquas Megiddo
Principes fruſtra Canaan: pauorem
Cœlitùs potant, tremuloq́ cernunt
Lumine cœlum.
Fœda torrentes tumulant eorum
Corpora: hinc ô mens mea ſperne fortes.
Horum enim curſu celeri cadebant
Vngulæ equinæ.
Spreta tu Merotz eris uſq; tellus,
Angelus dixit, quia defuiſti
In Dei bello: celebranda uerò es
Vxor haberi.
Adminiſtraſti lac aquam petenti,
Atq; butyrum phiala nitente
Siſaræ: at clauo quoq;, malleoq́
Tempora frangis.
Ad tuas plantas ruit ille pallens,
Atq; defecit miſer: ipſum in alta

Arce

Arce tardantem reditum gemebat
Anxia mater.
Vxor at prudens ait: An ne iam non
Victor ornatur ſpolijs? ita omnes
Perde pugnantes tibi: fulgeant, ut
Phœbus, amici.

ODE IIII. 1. Samuelis 2.

Exultauit cor meum, &c.

Canticum Hannæ matris Samuelis.

LEtatur placido cor mihi de Deo:
Eius namq; manu ſubleuor. os meum
Iam non erubet hoſtem,
Aſt audita canam Deo.
Nemo ſanctus ita eſt, ac Dominus: neq;
Quiſquam eſt præter eum. Nemo deûm Deo
Noſtro eſt æquiparandus.
Ne ſublimia dehinc loqui,
Nec iactare iuuet plurima garrulos,
Patrum duritiem ponite. Nam Deus
Iudex omnia cernit,
Et quodcunq; libet facit.
Arcus magnificum deficit, at modò
Infirmi accipiunt robur: ita ob cibum
Vilem ſe quoq; uendunt,
Qui dudum ſaturati erant.
Contrà pane ſcatent antè famelici,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Septenos peperit dum ſterilis modò
Natos, occidit autem
Grandi fœta propagine.
Terret morte quidem ſæpe diu ſuos,
Mergitq́; in barathrum triſtitiæ Deus:
Tandem at reddit apertus
Vitam, ueraq́; gaudia.
Ipſe & demit opes unus, & exhibet,
Ipſe affligit humo, denuoq́; erigit:
Ipſe è puluere tollit,
Atq; è ſtercore pauperes.
Et iuxta proceres ponit eis locum,
Et regnare facit: quandoquidem ſua
Terrarum regit orbem
Dextra cunctipotens Deus.
Plantas Chriſtigenûm dirigit. at mali
Turbato tenebris pectore conticent:
Nam uel fortis habendus,
Nil uirtute ualet ſua
Formident Dominum, quotquot ei obſtrepunt,
Horrendum ipſe tonat cœlitus, En Deus
Totum iudicat orbem,
Exaltatq́; pium gregem.

ODE

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE V. Nehemiæ 1.

Quæſo Domine Deus cœli, &c.

Canticum Nehemiæ.

TE te excelſe precor Deus,
Fortis, terribilis, magne, pijs tua
Seruans pacta: meas preces,
Quas effundo tibi pro famulis tuis,
Iſrelitide pro tribu,
Prona ſuſcipias aure. Rei ſumus
Nos, noſtriq́; ſimul patres,
Errantesq́; tua ceßimus à uia.
Sed ſis polliciti memor
Addicti Moyſi, quòd mala ſcilicet
Nos dum facta patrauimus
Per terram eijceres: at gemitu, & nouis
Purgantes mala geſtibus
Semotis, quoq; nos protinus è locis
Ad ſacrata reduceres
Arua, ornemus uti nomen ibi tuum.
En ſerui, & populus tuus
Nos, quos tu Pharia fortiter à manu
Soluiſti Deus, ô tuos
Exaudi famulos obſecro, qui timent
Te, nomenq́; pater tuum:
Et clemens hodie ſis mihi, me quoq;
Coram principe dirige,

Hoc pincerna, cui tempore ſeruio.

ODE VI. Tobiæ 3.

Iuſtus es Domine, &c.

Canticum Tobiæ.

IVſtus tu Deus es, iuſtaq; iudicas,
Ac nil, quàm pietas, nudaq; ueritas,
Nec non iudicium, ſemitæ ineſt tuæ.
Et nunc eſto mei memor,
Ne puni rigidus, neu reminiſcere
Labem ſiue meam, ſiue mei patris:
Nam non imperio paruimus tuo,
Atq; hinc exuimur bonis,
Vincimur, morimur, fabula ſpargimur,
Fimusq; opprobrio gentibus omnibus,
Inter quas miſerè uiuimus exules:
Iure hæc perpetimur Deus.
Longè namq; tuis abſumus à uijs:
Ergo fac genitor, quod tibi uiſum erit,
Atq; in pace meum collige ſpiritum:
Mors nam luce placet magis.

ODE VII. Ibidem.

Benedictum eſt nomen tuum, &c.

Canticum Saræ.

LAudandus omni es tempore, nam licet
Auerſus iram prætuleris, tamen
Es mitis, abſoluisq; culpa,

Sub

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Sub cruce te Deus inuocantes.
Meum cor ad te ſubleuo, te precor
Turbata, tu uel deme mihi hoc probrum,
Vel tolle uitam. Nempe tu ſcis,
Nulla meum uaga quòd libido
Iecur titillet, cum neq; miſceo
Luſum puellis me popularibus,
Igni nec inſano maritum
Poſco mihi, tui at in timore.
Fortè haud ſepultis digna uiris eram,
Vel non ij me: uel mihi coniugem
Diuerſum ab illis deputaſti:
Nam quis homo tua ſenſa norit?
Quiuis hoc autem ſcit grege de tuo,
Quòd, quando uiuit ſanctè, adeat polum,
Fœdaq; poßit labe ſolui,
Aq; graui cruce liberari.
Nam noſtra non eſt grata tibi lues:
Hinc poſt dolorem, poſt lachrymas pijs
Infundis exultationem:
Omne tibi ſit honos in æuum.

ODE VIII. *Tobiæ 13.*

Magnus es Domine in æternum.

Canticum Tobiæ.

E*S magnus Deus, atq; rex in omne*
Aeuum: percutis, & mederis idem,

Occidisq́, & ab inferis reducis,
Nec tuum quiſquam fugiet lacertum.
Iſrael modulare carmen illi
Coram gentibus: hinc enim peregrè
Nos abduxit, ut inter imperitos
Nomen excelſum celebremus eius.
Nos puniuit iniquitate fœdos,
Seruabitq́ mera benignitate:
Quæſo quod mihi præſtitit uidete,
Ac ducem æternum pauidi inuocate.
Exul certè ego confitebor illi,
Nam prauo generi ſuum fauorem
Pandit: nunc reſipiſcite ô maligni,
Fidite & mira pietate Chriſti.
Ipſo mens mea tota gaudet, ipſum
Iuſti pſallite, tuq́ uiue læta
Vrbs ô ſacra Deo Ieruſalaim,
Puniat quanquam tua facta uindex.
Regem perpetuum breui beanda
Lauda, templum etenim tibi reponet,
Captiuosq́ tuos reducet omnes,
Tunc eris demum ſine fine læta.
Lux in te radiabit: hinc tibi omnis
Munus natio deferet remota,
In teq́ altitonum Deum inuocabunt,
Vnde te ſanctam quoq; terram habebunt.

Qui

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Qui te deſpiciunt, grauesq́ damnant,
Damnabuntur ij. Beatus autem,
Quiſquis mœnia ſedulus perita
Erigit rurſum tua celſa dextra.
Tu gauiſa tuis colère natis:
Fœlices enim erunt, Deumq́ quærent:
Qui te diligit, ac tibi precatur
Candidus pacem ſtabilem, ille ſœlix.
Te laudabo Deus, Ieruſalaim
Qui ſacram tibi liberabis urbem
Aerumnis: ego fauſtus, hanc nouatam
Si mihi ſemen reliquum uidebit
Gemmis è uarijs ei ſtruentur
Portæ, mœnia Sapphiro & Smaragdo
Pingentur, ſimul illius plateæ
Luce fulgebunt lapidum coruſca.
Per uicos mihi Halleluia lætum
Decantabitur: hic Deus canendus,
Ipſam dum beat, ut benignus illi
Luceat ſemper moderator, Amen.

ODE IX. Iudith 16.

Incipite Domino in tympanis, &c.

A*D nouam regem citharam ſupremum*
Dicite, afflictiq́ malo uocate:
Bella enim frangit, iuuat & fidele
Proximus agmen.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Aſſur en uenit boreali ab urſa,
Fortium fidens equitum caterua,
Vrbem ut incendat, iuuenes trucidet,
Virginibus uim
Inferat. Sed mox Deus hunc repreßit:
Non ſuperborum tamen id gigantum
Dextera, uerùm uiduæ dolorem
Dißimulantis:
Quæq́ ſe pulchram ſatis, induebat
Inſuper compta quoq; ueſte, ſeq́
Mitra & unguento decorabat, hoſti
Inſidioſa.
Dein ſua capto ſpecie nitente
Enſe crudeli caput amputabat:
Eius iraſcens animum uirilem
Perſa ſtupebat.
Hinc ſiti laſſo grege prodeunte
Eiulant hoſtes, fugiuntq́ inermem
Nos ut infantes, populum, Deiq́
Enſe necantur.
Hinc nouum carmen Domino canamus:
Tu Deus magnus, tibi nemo par eſt:
Te tremat tellus, quia uoce ſola
Cuncta creaſti.
Nec quis obſiſtat tibi, tu mouebis
Editos montes, petræ item liqueſcent

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Ante te: ſed qui tibi cum timore
Seruit, ouabit.
Væ, meum quotquot populum laceſſunt,
His enim uindex erit, atq; eorum
Vermibus carnem Deus, atq; iugi
Puniet igni.

ODE X. Eſaiæ 5.
Cantabo nunc dilecto, &c.

COemit olim fidus in loco ſibi
Deus ferace uineam,
Et ſepe cinxit gnarus illam, & ex ea
Legit lapillos noxios,
Plantisq; uitis nempe nobiliſſima
Plantauit illam ſedulus.
Turrimq; celſam ſtruxit illic, & ſua
Torcular effodit manu,
Vuasq; gratas reddituram credidit:
Sed ecce labruſcas putres,
Fructusq; amaros proferebat: tum gemens,
Ciues, ait, Ieruſalem
Vos iudicate: præter hæc quid debui,
Quiuiq; uineæ meæ
Præſtare quæſo? Nunquid uuas haud bono
Expecto iure, & execror
Botris amaris & labruſcis horridam?
Sed ecce ueſtrûm cuilibet

r 5 *Factus*

Facturus ultor quid meæ ſum uineæ,
Nunc indicabo libere:
Nudabo ſæpe iuſtus illam, & diripi,
Plantisq́ calcari ſinam,
Vaſtamq́ linquam, haud amplius putabitur,
Scindetur haud ligonibus.
Hinc uepris illam, ſpinaq́, error ſcilicet
Caliginoſus, obruet:
Nullos & imbres hinc ab altis nubibus
Benignus illi fudero,
Non & fauorem, & gratiam poſthac meam
Bibet fideli pectore,
Nec ſacra ueræ iuſſa legis exprimens
Colet redemptorem ſuum.

ODE XI. *Eſaiæ 12.*
Confitebor tibi, &c.

TE ſupreme canam Deus:
Namq́ horrenda licet fulmina ieceris,
Aerumnasq́ diu mihi,
Iam tandem facie lenis ades tamen
Aduerſa, miſerum quoq́
Iam ſolaris, opem dum mihi fers Deus.
Te cum fido, metu uaco:
Nam robur Deus es, lausq́ mea, & ſalus.
Hoc è fonte ſalubria
Sancta, arensq́ ſiti poſteritas bibe

Magno

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Magno pocula gaudio.
Illo dixeritis tempore fratribus:
Collaudate Deum, ac pias
Illi offerte preces. Gentibus inſuper
Eius mira recludite,
Illum & magnifici pangite nominis.
Cantate ad citharam Deo:
Nam ſe mirificum præbuit. omnia
Terræ & climata tranſuolet
Mirandum eius opus: tuq; age iubila,
Cantillaq; Sion, ſacram
Quæ rupem colis ô turba fidelium:
Magnus fulget enim tibi
Seruator Iaacob, ſpes pauitantium.

ODE XII. *Eſaiæ 26.*

Vrbs fortitudinis.

V*Rbs firma nobis extat, eam ſalus*
Muro ſuperbo cingit, & aggere:
Sed portæ in illa ſunt apertæ,
Quo ſubeat pia ueritatis
Amore natio. Quiſquis enim flagrat
Illius igni, & quiſquis ei uolet
Iungi, fouebit pace, pace
Dico ſua, quia fidit ipſa.
Sperate Chriſto, namq; ſuis opem
Fert haud caducam: uerùm humilem facit

Altam

Altam impiorum ciuitatem
Prorſus & in nihilum reducit.
Calcabit illam pes inopum breui,
Sed recta iuſtum ſemita dirigit,
Eiusq́ callem tu gubernas,
O` Deus ergo uiæ tametſi
Duræ, imminemus iudicij tui,
Te ſuſtinemus: nomen item tuum
Flagramus, ac te nocte ſpirat
Mens mea, tete ego manè quæro.
Nam quando terram iudicio emicans
Terrebis, omnis iuſticiam ſciet
Mortalis. at quamuis malignus
Dona Dei tulit, haud nouatur.
Nec ſcire ſudat iuſtitiæ uiam,
Sanctam immò terram crimine polluit,
Vnde & retruſus non uidebit
Magnifici decus omne Chriſti.
Tu ſcandis axem, nec tamen id uident:
Hinc erubeſcent, & ſimul occident
Hoſtes maligni Chriſte: ſed nos
Pace bea, quia geſta noſtra
Vel cuncta ſolo te facimus duce.
Dij Chriſte, præter te, populi tui
Ponuntur in terra, ſed uni
Fida cohors tibi nos manemus.

Nam non gigantum putria corpora
Exuſcitantur, cum graui eos manu
Tu uiſitaſti. parcis autem,
Dum populo tua laus reſurgit.
Qui ſtant acerba ſub cruce, te Deus
Quærunt: &, ipſos dum premis, inuocans
Mœrore turbati: ut dolorem
Detegit, accelerante partu
Prægnans acerbum. Nomine pro tuo
Demortui extant: Surgite, promite
Laudem ſepulti, tu patronus
Chriſte tuis ades, ac feroces
Perdis gigantes. i mea gens, tuumq;
Intra cubile, & claude fores, latè
Paucis diebus, donec omnes
In reprobos mea ferueat ira.
Locum relinquet Chriſtus enim ſuum,
Et uindicabit cuncta piacula.
Tunc terra fuſo cum cruore
Proferet in medium ſepultos.

ODE XIII. *Eſaiæ 38.*

Ego dixi in Domino, &c.

Canticum Ezechiæ.

EN (dixi) medios rumpo dies meos
Mergendus tumulo, nō memor hinc Dei
Viuentium, neq; poſthac

Inter

Inter terrigenas agam.
Aetas lapſa mea eſt, & perijt uelut
Paſtorum fragilis quaſſa domus Noto,
Telæ moreq; uita
Iam præciſa labat mea.
Vſq; ad mane mihi ſpes erat. Hinc mea
Quaſſaſti omnipotens uiſcera, ceu leo,
Vitam tute per omnem
Vindex me Deus atteris.
Hinc & clamo gruis more, & hirundinis,
Exemploq; gemo turturis: ô pater
Ad te lumina tollo,
Turbato mihi ſubueni.
Quid dicam tibi, quum ſponte iuues? datos
Annos euoluam triſtior: omnibus
Vitam uerba miniſtrant,
Fulgentq; illa mihi tua.
Dum ſperata mihi pax fuit, en grauis
Mœror ſollicitat: quæſo animam meam
Serues, atq; meorum
Obliuiſcere criminum.
Nam te nec tumulus, nec fera mors canet,
Nec quicunq; ruunt in foueam, tuis
Præbent mente nouata
Certam pollicitis fidem.
Sed qui perfruitur ſole uolubili,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Ille, ut nunc ego, te laude uehit. ſuis
Gnatis an'ne ſuperſtes
Verum tradet iter parens?
Serua me famulum quæſo tuum Deus:
Sic noſtras memori, dum ſuperabimus,
Odas mente canemus,
Conſcenſa æde tibi ſacra.

ODE XIIII. *Eſaiæ 63. & 64.*
Miſerationum Domini, &c.

B*Enignitatem nunc recolam Dei,*
Laudaboq́ illum, quòd ſua maximè
Sanctis ab Iſraele natis
Præſtiterit pius uſq; dona:
Quos æſtimauit pro populo ſuo,
Gnatusq́ uerè morigeris patri:
Vnde & redemptor factus illis,
Inq́ graui cruce non reliquit.
Sed eius illos angelus eruit:
Atq; ipſe clemens, & ſimul igneo
Deduxit, ac geſtauit illos
Motus amore uel in ſenectam.
Facti ſed ipſi ſunt oneri Deo,
Sanctumq́ tentant crimine ſpiritum:
Vnde ipſe debellauit ira
Percitus, hoſtis acerbus, illos.
Et cogitauit, quomodo pauerit

Moſes

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Moſes fideles olim, ubi nunc pij
Eccleſiaſtæ, quiq; ſanctum
Pneuma gregi Domini miniſtrent?
Adiuuit illum dux pius, illi aquæ
Ceſſere, famam quo celebrem ferat,
Quando ſacrum agmen trans eremum
Duxit, equum uelut haud cadentem.
Vt, dum uirentem campum animal ſubit,
Dei haud reſiſtens ducitur impetu:
Sic tu fideles dirigendo,
Concilias tibi grande nomen.
È ſacra Olympi ſede uide pater:
Quò Zelus ardens, quò tua uis abijt?
Quo mititas? uindicta nunquid
Facta loco miſerationum eſt?
Non Abraham nos, non Iaacob diu
Nouit ſepultus. Tu pater unicus
Nobis, redemptorq; es, manebit
Quippe tuum ſine fine nomen.
Errare cur nos callibus à tuis
Fers? curq; noſtris pectoribus tui
Negas timorem? Quæſo ſeruis
Chriſte tuus redeas benignus.
Paruo ſacer grex tempore floruit,
Mox impio hoſti præda ſumus: quaſi
Rex noſter haud ſis, haud rogatus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Cum lachrymis aliquando nobis.
O' ſi uenires ocyor è polo,
Ab ore montes tum fluerent tuo,
Ceu cera ab igni, quo micantem
Turba ſacris inimica ueris
Gentes tremiſcant. Namq; ubi tu facis
Miranda, noſtram ſpem ſuperantia,
Lucesq́; coguntur ſuperbi
Te fugere, & trepidare montes.
Nullo at biberunt pectora ſeculo
Humana quæ non tu Deus incolis,
Nec cogitauerunt prophani
Quæ tibi tu facis aggregatis.
Occurris ecce, ac exhilaras pios,
Teq́; aſſequuntur callibus in tuis:
Iratus ob delicta nobis
Horrida, nos tamen adiuuabis.
Cuncti inquinati nos ſumus, ac tibi
Noſtræ uniuerſæ iuſtitiæ Deus
Fœtent, putreſcens & iacemus
Vt folium, rapimurq́; uento
Iniquitatum. Nec tibi quis preces
Fundit, nec iram ſedat agens tuam:
Hinc durus occultare nobis,
Nosq́; premis uitijs onuſtos.
Atqui parens tu noſter es ô Deus,

Noſterq́ fictor: nos lutum, & opus tuum:
Ne ſæuus iraſcare quæſo,
Vſq; memor ſceleris patrati.
Cuncti ecce quanquam nos populus tuus
Deus uocamur, noſtra tamen tibi
Vrbs lecta deſerta eſt, Sionq́;
Vaſta iacet, tua ſacra rupes.
Templumq́; noſtra & ſanctificatio,
Et gloria, in quo dulce tibi melos
Noſtri parentes obtulerunt,
Ignem aluit: ceciditq́; noſtra
Ferro iuuentus. num ſuper his Deus
Te continebis? num quaſi conniuens
Hoſti ſilebis? nosq́; perges
Immodicis onerare plagis?

ODE XV. Thre. 5.

Recordare Domine, &c.

Ieremiæ oratio.

NOs quæſo Deus, ac opprobrium uide
Noſtrũ, noſtrũ alijs en patrimonium
Ceſsit: patre caremus,
Et nobis uidua eſt parens.
Nec lymphis potimur gratuitis, neq;
Lignis: crux humeris dura iacet, quies
Laſsis nulla, miniſtri
Genti ſubdimur impiæ,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Quò nos lenis alat. pœnam etiam patrum
Noſtrorum luimus, iam putrium diu.
Serui ſubijciunt nos,
Nec uindex quis eos premit.
Cum uitæ ferimus farra periculo,
Deſerto gladijs horrido: & ob famem
Pellis noſtra moleſtam
Exuſta eſt, clibani modo.
Vim ſub rupe Sion uirginibus pijs,
Matronisq́; mouent, & proceres manu
Suſpendunt, neq; canos
Dimittunt ueriti ſenes.
Vel cogunt iuuenes nos molere, aut necant
Lignis impoſitos: iamq́; foro ſenes
Rareſcunt, puerié;
Ceſſant carmina promere.
Mens gaudere fugit noſtra grauis, choro
Deſueti lachrymas fundimus, occidit
Noſtra heu gloria: uæ, uæ
Nobis, quòd mala geßimus.
Hinc mœſto gemimus pectore, & horridis
Verſamur tenebris, quòd perijt Sion
Mons; & uulpibus antrum
Facta eſt aula Dei ſacra.
Regnas perpetuò tu Deus, ac tua
Sedes fine caret: ſed quid egentium

Obliuiſcere noſtri,
Nobis tamq́ lates diu?
Tu conuerte Deus nos tibi, nam potes:
Noſtrum & corrige, ceu principio, ſtatum:
Sed nos linquis, & ira
Vindex inſequeris graui.

ODE XVI. Daniel. 9.
Obſecro Domine Deus magne, &c.

Quando ſumme pater, ſacra
Seruans uſq; tuis pacta fidelibus,
Nos peccauimus, ac tui
Praue iudicij ceſsimus à uia:
En confundimur, & quali
Diuerſis merito cladibus exules
Nos agnoſcimus, at tua
Stat uictrix bonitas: quippe patrauimus
Contra iuſſa nefas tua,
Nec uoci fuimus morigeri tuæ,
Nos, noſtriq́ ſimul patres,
Regesq́; & proceres, totaq́; ſtirps Iacob.
Hinc uerax Deus, & ſimul
Iuſtus, Moſaico ſcripta uolumine
Tranſgreſſoribus obijcis
Nobis dira mala, ac intolerabiles
Aerumnas: quia nec diu
Verbis præmoniti, mitibus, aſperis,

Nec non uerberibus, uias
Prauas abnuimus, teq́ rogauimus.
Sed tu, qui populum tuum
Duxiſti Pharia lucidus è Tani,
Ira ne preme nos tua,
Qui defecimus à lege pater tua:
Vrbs nec ſacra Ieruſalem
Aeterno rubeat, digna licet, probro.
Sed parce, & placitæ precor
Ob Chriſtum domui mitior inſide.
Auſculta Deus, & uide
Vaſtatos penitus nos, tibiq́ oppidum
Commiſſum prece. non enim
Noſtra iuſticia nitimur: at tua
Nobis mira benignitas
Dat ſperandi animum. Quæſo citò annue
Nobis motus, & id tui
Cauſſa: nam tibi nos, noſtraq́ dedimus.

ODE XVII. Ionæ 2.

Clamaui de tribulatione.

MOerore ſæuo preſſus oraui Deum,
Et motus gemitus audijt ille meos.
Tu me barathro, tu profundè merſeras
Chriſte mari, clauſum cinxerat unda tua.
Tum cogitabam: Haud porrò me curat Deus:
Attamen aſpiciam denuò templa tua.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Crudele ſatum comminabatur mihi
Oceanus, capiti fuſa erat alga meo.
Alto latebam fundo, ut abſq; termino
Perditus, at genitor tu mihi promis opem.
Morti propinquus iam recordabar Dei,
Conuerſusq; alacri mente precabar eum.
Prophana mundi turba præſtiti ſibi
Cœlitùs auxilij non manet uſq; memor:
Afflictus autem quæ Deus uoui tibi
Soluam ego pro dono, carmina grata, tuo.

ODE XVIII. Abacuc 3.

Domine audiui auditum tuum, &c.

FAma audita Deus me tua territat,
Annis in medijs lucet opus tuum,
Annis in medijs profer id, & tuis
Clemens eſto parentibus.
Ex Auſtro micuit monteq; de Pharan
Olim rex Iaacob, ſidera gloria
Illius tegit, & laude ſtrepit ſolum,
Splendebatq; modo facis.
Spargebatq; ſua fulgura de loco,
Virtutemq; palam protulit hic ſuam:
Mors præceſsit eum, ſubſequitur lues,
Sic menſurus adeſt ſolum.
Nutu perniciem gentibus intulit,
Nec non montibus, & collibus editis

Tantum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Tantum præteriens: aufugit Aethiops
Ob crimen, Madian ſuas
Pelles terra mouet. Num Deus in mare?
Num contra fluuios ira furit tua?
Cur aſcendis equos? curribus inſides?
An ſeruare paras tuos?
Cunctis arcus erat conſpicuus tuus,
Iuraras placitis ut tribubus Deus,
Scindebas fluuios, id tumidi graui
Montes conſpiciunt metu.
Cedit gurges aquûm, dat ſonitum fretum,
Mireq́; erigitur, ſol premit, & uaga
Curſum luna ſuum: dextera reprobos,
Lucensq́; haſta fugat tua.
Totam iratus humum deſtruis, & premis
Gentes: at populo certa ſalus pio es
Tu, Chriſtusq́; tuis, tu caput impiæ
Turbæ funditus auferes.
Illud deijcies ipſius enſibus,
Dum turmatim aderūt perdere me, & uelut
Abſumunt inopum qui bona, geſtient:
Tardatis luto equis tuis.
Audiui, & tremuit uoce meus tua
Venter, labiaq́; & oſſa: expaueo uidens
Durum tempus adeſſe, & populum fera
Nobis bella minantium.

Non florebit enim ficus ibi, haud erit
Vitis grata botris, fruſtra oleam coles,
Ex aruis cererem non reuehes: pecus,
Armentumq́ erit infrequens.
At gaudebo equidem de Domino meo:
Ceruis is faciet me celerem magis,
Adq́ excelſa uehet me ſua, ut ad ſacram
Pſallam carmen ouans lyram.

ODE XIX. Luc. 1.

Magnificat, &c.

Canticum Mariæ matris Chriſti.

EXtollit Dominum mens mihi, & exilit
Seruatore Deo ſpiritus in meo:
Cum reſpexit amanter
Me uilem famulam ſuam.
Fœlicem ueniens hinc generatio
Omnis me referet, quòd mihi præpotens
Fecit grandia rector:
Sit nomen celebre illius.
Quin eius pietas fine caret quoq́,
Nec, pertæſus uti noſtra piacula,
Vlla ætate timentes
Ipſum deſtituet grauis.
Robuſta Dominus mira facit manu:
Confundit tumidum cor, premit illius
Et conata, potentes

De-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Detrudit ſolio è ſuo.
Suſtollitq́; humiles, cordeq́; paupere
Quicunq; eſuriunt, exaturat bonis:
At dimittit inanes,
Fruſtraturq́; ope diuites.
Iſrelem puerum ſuſcipit in ſuum:
Hoc illi pietas, hoc Abrahæ data,
Illiusq́; fideli
Perſuadet ſoboli fides.

ODE XX. Ibidem.

Benedictus Dominus Deus.

Canticum Zachariæ.

Laudandus Iſrel eſt Deus: hic ſuum
Et uiſitauit, cladeq́; prægraui
Soluit cateruam, firmiusq́;
Imperium ſtatuit Dauidi,
Eiusq́; ſtirpi. fatidico uelut
Ipſe ore uatum præſcius omnium
Dixit futurum, nos ab hoſte,
Et reprobo grege liberandos.
Seſeq́; ſpondens ultro parentibus
Noſtris benignum, fœderis & ſacri,
Iurisq́; iurandi, fideli
Facti Abrahæ memorem futurum:
Et quicquid illo pollicitus boni eſt
Nobis daturum, quo n..cui metu,

S 5 Et

Et liberati diri ab hoſtis
Imperio, famulemur illi.
Cum ſanctitate & iuſtitia quoq;
Siſtamur eius luminibus dehinc
Vitam per omnem, donec iſtos
Aura potens agitabit artus.
Propheta ſummi miſſus ades Dei
Tu dulcis infans: præuio enim gradu
Chriſtum præibis iam propinquum,
Quo uiam ei facias patentem.
Des & ſalubrem uoce ſcientiam,
Remiſsionem flagitij ſui,
Per lenitatem uiſitantis
Nos Domini, populo fideli.
Iam uiſitabit noſter enim Deus
Nos, ille dictus uatibus entheis,
Et Chriſtus, & germen ſubinde,
Atq; Oriens apud hos uocatus.
Vt lumen illis, quos tenebræ horridæ,
Quos umbra mortis terruit, influat:
Et nos quieta mente tandem
Pacis iter ſubeamus omnes.

ODE XXI. *Luc. 2.*

Nunc dimittis, &c.

Canticum Simeonis.

N*VNC amabo recreatam*

Deme

Deme craßis uinculis
Hanc Deus benigne mentem, &
Pace iam diutina
Me bea, tuum ecce plena
Nunc micat promißio.
Nunc meis enim redemptor
Miſſus abs te cœlitus
Ille uiſus eſt ocellis,
Vnicum quem ſontibus
Ponis omnibus patronum,
Atq; ſidus fulgidum,
Quod nigras fugans tenebras,
Lumen ingens gentibus
Adſerat, tuamq; plebem
Tollat Iſrael gloria.

ODE XXII. Matth 6.

Pater noſter, &c.

O Cultor aulæ ſidereæ Deus, (nium,
Chriſti parens, & Chriſtigenûm om
Da nomen expreſſa per omnes
Laude tuum celebretur oras.
Et liberatos à Satanæ iugo
Nos porrò regno ſuſcipe præ tuo,
Sanctumq; ſeruos nos regignat
Pneuma tibi, moriente carne.
Vt ſic uoluntas hinc placeat tua

Nobis,

Nobis, miniſtris ut placet igneis:
Vt hi ſuprema cœli in arce,
Nos quoq; ſic tibi pareamus.
Nobis egenis corporea inſuper
Quotidie fer ſubſidia obſecro,
Victum, ac amictum, ac ſanitatem,
Coniugium quoq;, liberosq́.
Digni negamur muneribus tuis?
Tu mitte noxam quæſo rogantibus:
Nam nos quoq; omni debitori
Noſtro animum placidi fauemus.
Ne non relinquas in dubia pater
Tentatione, at faucibus eripe
Nos Ditis atri. Eſt quippe regnum,
Visq; & honor tibi ſempiternus.

ODE XXIII. Mtth. 11.

Gratias ago tibi pater, &c.

TE pater laudo, tibi rector axis,
Terræq;, offero gratias,
Quòd tua abſcondens placita à ſuperbis
Et prudentibus, indices
Paruulis, quicunq; humili uacantes
Aſsiſtunt mihi pectore
Cum ſiti. Certè pater hæc uoluntas
Eſt cantanda mihi tua.
Cuncta tu cedis mihi, meq; nemo

Dem-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Dempto te genitor uidet.
Teq́; ſcit nemo, niſi Natus, & cui
Natus lumina dat noua.
Ergo mortales properate cuncti
Ad me, quêis onus improbum,
Et graues turbant animum labores:
Gratis uos ego recreo.
Huc, meum portate iugum: meoq́;,
Et mites, & humillimi
Cordis, exemplo fieri ſtudete.
Sic demum requiem pij
Sentiunt ueram, neq; temporalem
Læto pectore. Nam iugum
Commodè fertur meum, & haud moleſtum
Correctis onus eſt meum.

ODE XXIIII. Ioh. 17.

Pater uenit hora.

Hora iam parens adeſt,
Tuus niteſcat gnatus, ut uiciſsim
Ille gloriam tuam
Per clima plantet omne: ſicut abs te
Omnis eſt ei data
Carnis poteſtas, ut ſuis miniſtris
Omnibus queat dare
Vitam perennem, gaudiumq́; certum.
At perennis hæc quidem

Eſt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Eſt uita, ſolum te Deum, tuumq́
Noſſe Chriſton angelum.
Quæſiui honorem, dum fui relicto
Hic polo tuum ô pater:
Opusq́ grande, te quod imperante
Exequi receperam.
Vt executus plenè, alacris adſum.
Iamq́ me tuo parens
Extolle honore, quo quidem & reluxi,
Dum nihil creaueras,
Et ante tempus omne glorioſus.
Omnibus mihi additis
Tuum ſtupendum nomen indicaui.
Te trahente ſunt dati,
Tuæq́ uerbis legis obſequuntur.
Et ſciunt quòd omnia,
Quæcunq́ tu mî dona contuliſti,
Sint manu data è tua.
Nam uerba ſancta tradidi tua ipſis
Cuncta deoſculantibus,
Credentibusq́, me tua exiſſe
De potente dextera,
Legatus & quòd ſim tibi fidelis.
Hos rogo iuues pater,
Qui te ſequuntur. haud gregi prophano
Seruiunt preces meæ:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Sed his, tui qui ſunt ſimul, meiq́;.
Nam quod eſt meum, eſt tuum:
Nec eſt tibi quid, quod mihi negatur.
At mihi ex ijs honor
Accreuit. haud me mundus hinc habebit,
Sed tibi aduolo pater:
Habebit iſtos mundus. ergo ſanctè
Nomen ob tuum pater
Serua, beandos quos mihi dediſti,
Vtq́; nos, ita hi quoq;
Fac mente tanquam colligentur una.
Ipſe quamdiu adfui
Mortalis illis, à lupo rapace
Paſtor in tuo bonus
Paui ſequentes nomine, ut periret
Nullus ex ijs, niſi
Perdendus ille, teſte uel propheta.
Iam reuertor en tibi,
Hæc ante mortem prolocutus, iſti
Quò perenne gaudium
De me refectis hauriant medullis.
Verbum eis dedi tuum:
Hinc odit illos mundus, ut reſecta
Membra corpore à putri,
Me, dum ſequuntur moribus nouatis.
Non eos rogo ſtatim

Tollas

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Tollas ab orbe, ſed malis gubernes
Erutos: tuamque eos
Per ueritatem, ſacra nempe uerba,
Conſecres. ego ut polum
Linquens, adiui te iubente mundum:
Sic & hos in horridas
Legabo terras, lumen adſerentes.
Horum & ipſe gratia
Miracla paßim plena ſanctitatis,
Ipſi uti tuam quoque
Per ueritatem recreentur, edo.
Sed nec his preces meas
Effundo ſolis: immò credituris
Hæc precor quoque omnibus
In me per horum uerba: gloriamque
Cœlitùs mihi datam
Illis reuelo, quo pari coacti
Vniantur in fide:
Mens ut ſumus nos una, corpus unum,
Meque cum tuo ſciant
Veniſſe in orbem nuncio, & quòd ipſos
Mecum ames. pater mihi
Quos appuliſti, ſint ubi que mecum:
Atque gloriam uolo
Mihi paratam per tuum fauorem
Mente combibant ſua:

Meo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Me nam flagrabas & ſole increato.
Nemo iuſte te pater
Nouit prophanus: aſt ego, & fideles
Te mei, ſimulq́ me
Nouere, qui te uenerim iubente.
Nomen his tuum lubens
Omni reuelo ſeculo, ut paterna
Charitas eis tua
Pandatur, & me gaudeant patrono.

ODE XXV. Act.4.

Domine tu es Deus, qui feciſti, &c.

Canticum Apoſtolorum.

O Poli celſi Deus, atq; terræ
Factor, & ponti, reliquiq́ mundi:
Tu tui ſacro famuli Dauidis
Concinis ore:
Cur fremunt gentes? populiq́ uana
Cogitant? regum procerumq́ cœtus
Cur ſtat aduerſus Dominum, illiusq́
Concitus unctum?
Verè enim Herodes uafer & Pilatus,
Turbaq́ Iſrael fera, gentiumq́,
In tuum ſanctum malè fœderati
Filium Ieſum
Impiè ſurgunt, licet abs te inunctum:
Sic Deus uiſum tibi, ſic ſtatutum

In tua ſemper fuit haud aperta
Mente prophanis.
At minas horum Deus intuere
Iuſtus, ac dona pauidis miniſtris
In tuis uerbis animum ſerendis
Obſecro promptum.
Ac tuam dextram quoq; pande, ſanans
Languidos quoſuis, operansq; mira
Signa per nomen tibi perplacentis
Prolis Ieſu.

ODE XXVI. 1. Timoth 1.

Canticum Pauli.

Qui me fortificat, Deo,
Ac noſtro Domino Chriſto ago gratias:
Me ſuſcepit enim uelut
Se dignum famulum, uerbaq; mî ſua
Enarranda dedit: modò
Qui blaſphemus eram, cuncta pijs mala
Quærens. at ueniam impetro,
Quòd Iudæus adhuc, ac rudis egerim.
Valde clara mihi Dei
Illuxit placidi gratia, cum fide
In Chriſtum uolucri, flagrans
Quam dilectio mox aſſequitur comes.
Ergo hic certus, & omnium
Dignus ſermo fide: quòd ſoboles Dei

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Huc deſcenderit, ut reis,
Inter quos ego ſum primus, opem ferat.
Vnde & gratuitò pius
Me ſuſcepit, uti poſteritas gemens
Exemplo ſapiat meo,
Quàm pronus miſeris, quamq́ fidelibus
Promptus luceat omnibus
Veram læticiam, & perpetuam dare
Vitam. æternus honos ei,
Qui ſolus ſapit, & ſine Deus caret.

ODE XXVII. Apocalyp. 15.

Canticum uictorum beſtiæ.

QVæ facis omnipotens, opera
Sunt magna atq; ſtupenda:
Suntq́ uiæ Deus alme tuæ
Iuſtæ, ô ſancte piorum
Rex, uera & tua iudicia.
Quis non grande paueſcat
Chriſte tuum nomen ſapiens?
Turbatusq́ precetur?
Solus enim Deus es placidus,
Naturaq́ benignus:
Solus item peccata tuis
Gratis cuncta remittis.
Hinc tibi mox omnes uenient
Gentes, uotaq́ tarda

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Vnius ante tuos oculos
Humili pectore fundent.
Iam ſiquidem tandem omne tuum
Clara luce refulget
Iudicium, tuaq́; eruitur
Cuiuis nota uoluntas.

Carminum Biblicorum Finis.

CARMINVM RE-CENTIVM LIBER Septimus.

ODE I.

Deum Chriſtianis eſſe laudandum.

L*Ector nate ſacro iã bene ſpiritu,*
Corruptis athei motibus, & rudis
Allecti uario pectoris impe *(tu*
Diuerſas obeũt ſollicitudines.
Congeſtis temerè nititur hic ſuos
Securos opibus reddere poſteros:
Iam colles, tumidum iam mare permeans,
Vitamq́; innumeris obijciens malis.
Alter delicias, uanaq́; gaudia,
Seu riſus adamat, uel trucis ignea
Perculſus ſequitur tela Cupidinis,

Miſce-

Miſceturq; uagæ (turpe) libidini.
Multos ambitio, fluxaq; gloria
Suſpenſos agitat: multi etiam iocos,
Et luſus agileis: multi etiam dolos,
Nec non furta ſtupent, diraq; iurgia.
Sunt & qui crapulam, Bacchica factio,
Veſano nimium pectore diligunt,
Et quas ancipiti fortiter aleæ
Commiſiſſe ſuum mens patrimonium.
Sed nos, qui Domino fidimus, illius
Sperantes meritis omnia proſpera,
Cantare aſsiduò ſpiritualibus
Debemus placidum carminibus patrem.
Huc nati ſiquidem ueſcimur aere,
Tactiq; utilibus dulce caleſcimus
Titanis radijs, huc quoq; ſpiritu
Reges illius & ſacrifici ungimur:
Quo noſtro rudibus gutture gentibus
Fiant acta Dei cuncta celebria,
Et quò deinde probè cognita mentibus
Victricem pauidis obijciant fidem.
Atq; id nil melius carminibus ſacris
Præſtat, ſacra Deum carmina perdocent:
Hunc nos præcinimus, tu pius accine,
Laudes ipſe ſuas audiat & probet.

ODE II.

Inuocatio Chriſti pro ſuceſſu.

CHriſte, quem ſacro decorata plectro
Surgit Euterpe celebrare noſtra,
Conſer infanti pius erudita
Carmina uati.
Pindari doctor, tibi Cæus olim,
Præbuit fidam tibi Flaccus aurem,
Tu lyræ inuentor tibi ſacra ſemper
Carmina curæ.
Vnde Dauides, niſi te magiſtro
Doctus, afflato citharœdus ore
Saulis inſanitumidam fefellit
Principis iram?
Vnde poſt mutum, Samuele nato,
Calluit luctum, niſi te magiſtro
Docta, uotiuum pia mater Hanna
Pſallere carmen?
Nos quoq; haud ullo, niſi te magiſter
Summe, fidentes, licet imperita
Fauce, canturi tibi dedicatas
Adſumus odas.
Tu rudem noſtri reparare linguam,
Qui potens illam nihilo creaſti.
Sicut & Moſi tua quondam obire
Iuſſa timenti,

Dicis:

Dicis: Ex uda quis inepte linguam
Fecit argilla? quis inabſolutum
Liquit os mutis? ego nónne rerum
Conditor unus?

Ergo ut Eſaiæ uitioſa uatis
Ora purgares, tuus ecce ſacra
Nuncius pruna meliora tangit
Inde futura.

Atq; quantumuis puer eſſet, atq;
Rure ſorderet patrio, iubente
Clara te geſsit tamen acta uates
Annathotites.

Inſuper promiſſa uolens dediſti
Seruulis, præſto fore deſtitutis
Spiritum ſemper patris, & perita
Ora daturum.

Quæſo clamorem tibi ſupplicantis
Corde flagranti miſeratus audi,
Qui mihi laturus opem iacenti
Sidera linquis.

Stringat horrentem ſacra pruna linguam,
Ac tuum ſemper iuuet indigentem
Flamen, & larga generata uena
Carmina dona.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE III.

De miſeria humana, querela.

O Quàm triſte malum ſenſibus hauſimus,
Quàm cedens erebo præteriȷt pater
Sanctum numinis almi
Factoris placitum ſui?
Quantis hinc inopum uita ſcatet malis,
Dum ceu perpetua conteritur lue,
Semperq́ horrida culpæ
Mors nos pœna uorat reos?
Vix uno, ſequitur mox aliud malum,
Sanato, & querimur continuè graui
Tacti clade, nec unquam
Reſpirare datur diu.
Iam frigus rigidum, deinde calor furens
Affligit miſeros, mox fame, mox ſiti
Dura paſcimus atram
Preßi ſollicitudinem.
Quin & ſæua manus crebrò tyrannica
Tutantes alacri pectore numinis
Almi terret honorem,
Quæritq́ immeritos neci.
Gratisq́ à patriæ finibus exules
Turbato populos pellit ad exteros,
Ignotasq́ ſub oras
Rector corde gregis mali.

Quin

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Quin morbi quoq; tum, ſeu febris ignea,
Siue horrenda uteri tormina lubrici
Terrent morte minaci,
Conſumuntq́; reum genus.
Atq; hæc ſi placido ſupplicibus pater
Aufert corde ſuis, & minuit metum,
Mox aut hulcera lapſis
Dat rurſum, aut grauius malum.
Sæpe & ceu tumulo culpa redit uetus,
Conſumitq́; hominum ſontia pectora,
Immergitq́; tenebris
Orci corda ſuperſtitum.
In ſumma, horribili nulla uacat dies
Nobis mœſticia, quandoquidem indolem
Prauam triſtis Adami
Induti, eligimus mala.
Sed non iſta pijs ira Deus tua
Infert: at pietas maxima, quò ſua
Nondum ſerò piacla
Trito pectore lugeant.
Nam lugenda reis culpa ſua eſt ſemel,
Aut hic, aut picea iugiter in Styge:
Vnde & tela libenter
Nos incurrimus heic tua.
Verùm commerita hæc tu mala mitiges
Clemens oro pater ſupplicibus tuis,

Quò cantemus alacri
Gratum corde tibi melos.
Non gaudes pauidum linquere fletui,
Sed ſiccare genas flentis amor tuus:
Ergo reffice tandem
Turbam, nos, tibi ſupplicem.

ODE IIII.

Ad Deum, pro auxilio in uocatione.

MIrande rector quum tua prouidus
Ad hæc uocaris ardua munia
Paruumq́, & illis impotentem
Sat facere ingenio meopte:
Quæſo ſupernè confer opem tuo
Pronus miniſtro, meq́ iuua pater,
Hancq́ alligatam ſolue linguam,
Poneq́ mî tuum in ore uerbum.
Plebs omnis aſtans audiat & minas
Contra prophanos legis: & indigis,
Cunctisq́ conuerſis paratum
Alme tuum genitor fauorem.
Et ſic uoluntas quæ tua ſit bona,
Quibusq́ geſtis ritè coli uelis,
Ex ore noſtro, iamq́ prauis
Dogmatibus procul eſſe diſcant.
Quin cordi eorum tu ſimul implue
Tectum uigorem, nec fac inania

Verba

Verba ore promam: ſed ſuperbos
Voce mea feriens regigne.
Atq; utilis fac deniq; ſim tibi,
Tuæq; ſacræ turbæ, anima & meæ
Retro ſalutaris, tibiq;
Perplacitum Deus inſtrumentum.
Curſusq; fœlix obſecro ſit meus:
Te deſtitutis Chriſte nihil bene
Succeßit unquam, te fauente
Proſumus, obſumus haud iuuante.
Tibi ferox quum non placet Arrius,
Turbat piorum Concilium ſacrum,
Ditisq; propinat uenena:
Quæſo nite mihi tu benignus.
Nec linque preſſum morte, nec abijce
Polluta diri quòd patimur ſacra
Terrore Papæ, quin miniſtri
Cæde tui releuemur illis.
Sunt namq; menti crux grauis hæc meæ,
Preſſoq; noctu pectus, & ob diem
Torquent: adeſto quæſo mitis,
Et pauido mihi fer ſalutem.

ODE V.

Deprecatio libidinum.

NE peccem Deus effice,
Pollutas 've ſequar quæſo libidines:

Verum

Verùm cede miſer tuis
Purgatam placitis ingrediar uiam,
Per teq́ exhibito regar
Infirmis baculo coniugij ſacro.
Huc huc auſpicio tuo
Fauſte perueniam cunctipotens pater.
Si non promeritus tuam
Sum, fœtens uitio, ſollicitudinem:
Chriſtum, quo mea nititur
Mens, in me placido reſpice lumine,
Et me propter eum iuua.
Clemens propter eum compare amabili,
Citra flagitium breui,
Et probrum potiar, triſteq́ ſcandalum.
Quin &, quam dabis obſecro,
Sit præſtans animi, ſit quoq; corporis
Donis: utraq; opus tuum,
Vtrorumq; homines naſcimur indigi.
Si diuerſa tamen uides
Tu, ſi fata mihi, uel grauis imminet
Clades, ſiue aliud mihi,
Cur dulci caream coniuge, deſtinas:
Eſto, morigeror tibi:
Quod uis accidat. & ſi placet hoc tibi,
Vt cœlebs maneam, ſimul
Vires adde, quibus iam careo, ut queam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Caſto uiuere pectore,
Nec fœda tua re lumina polluam,
Nec te quoq; modò reus
Offendam, & facie ſeparer à tua.
Huc cœleſtis ades pater,
Hos audi gemitus mitis, & has preces,
Et ſuccurre miſerrimo,
Soluarq́; aſsiduè te precor, his malis.
At quum tu tamen indices,
Quòd cuncti nequeant id capere, admonens,
Solus fortis ut aggredi
Rem tantam cupiat, ſimq́; ego (ſcis pater)
Infirmiſsimus omnium,
Nunquam deſiero fundere ſupplices
Vero corde tibi preces:
Quò, per difficiles ire rudis uias,
Septis detinear tuis,
Verbumq́; intuear perpetuò tuum
Sacro coniugij in ſtatu,
Iam puro Sodomam pectore deſerens.

ODE VI.

Gratiarum actio, uiſo Dei auxilio.

QVàm diffuſa tua eſt rex pie lenitas?
Qui uel cæca iuuas pectora, dum tibi
Se ſiſtunt, precibus nec maculas Deus
Inſperſas grauis aſpicis.

Nam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Nam quum dira Papæ ſacra modò ambiens
Certam perfidiam (qua ſacra deuouent
Compulſi tua, quam nec poſitum in mea
Euitare fuit manu)
Mœſto corde diu deprecor anxius,
Votisq́; aſsiduè te moror improbis,
En oſtenſa rudi lux mihi fulgurat,
Et miranda manus tua.
Optato poſitus perfidiam loco
Gaudens effugio, conſilio tuo:
Tum cantare lubens dulce tibi Deus
Auditus potui melos.
Hinc & nunc animum ſpes bona habet meum,
Quàm nunquam eſſe pius deſieris mihi,
Quamq́; aut hoc ouibus commoda quæ tuis
Miſſus ferre queam in ſtatu,
Nec coram ſolio ſons habear tuo,
Qui clemens pauidis crimina ſemoues,
Nec næuos tetrico lumine reſpicis,
Horum qûi tibi cor leuant.
Aut certè, tibi rex quando uidebitur,
Toto me barathro de Babylonico
Lenitus precibus continuis meis
Educes miſerabilem.
Tunc uerace canam pectore, tunc pater
Laudes grata ſtrepet lingua tuas mea.

Præ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Præſertim hæc fuerint cum patria mihi
Si communia gaudia.

ODE VII.

Concio Chriſti, ex cap. 7. Matth.

ALto monte ſedet Deus,
Et biſſena cohors ei
Charos aſsidet ad pedes.
Turbas ille regit labris,
Tandem & Jeſſus hoc addit:
Totis uiribus ingredi
Cœli mœnia lucidi
Arctam quærite per uiam:
Nam lata eſt quoq; quæ ſua
Carni uota relinquit.
Hac ſe præcipitant ſenes
Triſtes, & iuuenum chorus,
Plutonisq́; nigrantia
Complent atria, nec gradum
Vnquam uertere poſſunt.
At pauci inueniunt bonam,
Anguſtamq́; ſimul uiam:
Ad ſublimia quæ Dei,
Per ſexcenta pericula,
Ducit regna beatos.
Hanc uos quærite ſedulò,
Hanc intrate precor uiam:

Cul-

Cultoriq́ bonæ Deo
Bonis fructibus arbores
Apparere ſtudete.
Vel certè horribilem breui
Exciſi ibitis in rogum.
Sed nec profuerit quidem
Lingua me Dominum pia,
Patronumq́ uocare:
Sed ſeruanda patris mei
Sunt mandata, fideq́ ego
Vera debeo ſuſcipi:
Veſtroq́ auxilio pij
Suſtententur egeni.
Multi in iudicio mihi
Dicent cum fremitu rei:
An' non grandia nomine
Quondam geſsimus in tuo,
Illi quos ita damnas?
An' non uerba pio gregi
Vatum more fidelium,
Purè tradidimus tua?
Et miracula fecimus?
Et conuertimus iſtos?
His reſponſum ego tum dabo:
Quid' nam geſseritis foris,
Haud ſpecto, neq́ proprium

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Eſt hoc officij mei,
Qui cor iudico ſolum.
Verum quum, genus impium,
Et deliqueritis graue, & ,
Nondum corda noui, malum
Perpetraueritis, mihi
Ignoti eſtis, abite.
Ergo diſcipuli mei
Ignaui ſimul, & cati,
Qui, qualesq́ue cani queant,
Apto propoſito typo,
Commonſtrabo libenter.
Ceu fundata domus bene,
Petræq́ue impoſita, haud timet
Vim ſæui maris, haud grauem
Impulſum Zephyri, & leui
Regnantem aere Caurum:
Sic quicunque meum pius
Auditq́ue, & ſimul efficit
Verbum, ſtabit in omnibus
Fortis caſibus, & meo
Nunquam arcendus ab ore.
At fundata domus male,
Putriq́ue inſita pulueri,
Dum ſæuit Notus, ac tumens
Vnda impugnat eam, facit

Magnam lapſa ruinam.
Sic quemcunq; mei quoq;
Sanctum audire mouet patris
Verbum ſola ſcientia,
Non & cognita dehinc noua
Vita implere uoluntas:
Is tentatus, & igneo
Siſtens iudicio Dei,
Terroremq́; bibens necis,
Deſperabit, & horrido
Præceps incidet Orco.
Tum ſe ſentiet omnibus
Donis eſſe procul Dei,
Nec fulſiſſe ſibi fidem
Veram, nec miſerabilem
Vnitum eſſe patrono.

ODE VIII.

Precatio in anxietate uæria.

Occulte rector, Chriſtigenûm Deus
Quàm noſtra terror pectora multiplex
Verſat? quot exiſtunt eadem
Bella mihi ſuperanda luce?
Pulſandus agger gurgite ſto maris
Alti, atq; Cauri flatibus inciti:
Hinc ſalſa ſpumans, hinc citato
Lympida me petit unda fluctu.

Primum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Primum profuſis quid lachrymis querar?
Primum dolorem, quem tibi proferam
Emolliendum & lenitate,
Fide tua Deus, & potente
Dextra? paratas an genero minas
A` morte præcoci? hunc abiens enim
Morbo laborantem reliqui
Ancipiti, uiduamq; flentem.
An uerſus ad cor principiò gemam
Cultus prophanos & ſacra noxia:
Quæ ferre compellor, tyranni
Imperio ſubigentis orbem?
Hinc inquieta eſt mens mea, quòd tibi
Ritus amaros exequar, à tuo
Candore, conuerſoq; rege
Affore mox meliora ſemper
Sperans. An igneis ambiguos magis,
Suſpenſa reddunt qui mihi pectora,
Seq; exhibentes ſæpe blandos,
Mox abeunt, quaſi fumus ater
Permixtus auris, & caput indigo
Negant amatum difficiles mihi,
Clamantq; linquendum impotentem
Coniugij ſine ſcipione.
An his omiſſis iam licet innocens
Tremam cruentas pontificum manus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Quum nunc ad ipſorum uocatus
Terribilem proficiſcor urbem?
Immò ſub una plangere nænia
Viſum eſt, eodemq; omnia carmine
Hæc deprecari, quæſo mœſtum
Cunctipotens miſerator audi.
Te fido toto pectore, te libens
Agnoſco patrem, ſi tua fert ita
Nobis ſalutaris uoluntas,
Liberer hoc Deus uniuerſo
Per te tumultu, proſperaq; annue
His cuncta uotis. Sin minus hæc tibi
Sunt uiſa, cedo, crux geratur,
Dum tuo agam pater in fauore.

ODE IX.

Precatio Chriſtianè amantis.

SVmmis Chriſte mihi dotibus inclyta
Iſthæc gemma ſui non ſuperábilem
Inſpirauit amorem,
Cor furata meum ſemel.
Nec quicquam ſupereſt, heu fateor, ſpei
In me, quòd potiar coniuge: ſic mihi
Sunt contraria cuncta,
Quæ me cunq; beent ea.
Nam uel fratribus heic deſeror à meis,
Ne dicam impedior: quin etiam mihi

Con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Conſuetudo prophana,
Et lex hoſtis obeſt tui.
Ne deſertum adeò tu quoq; deſere
Chriſte. an' non miſeris maximè ab aure
Deueniſſe putaris
Lætus nuncius æthere?
Cur mœrore mihi cor erit in graui?
Cur cæcum pietas me fugiet tua?
An terrore fugati
Abs te ſuaue tibi melos
Pangent? Ecce nihil difficile eſt tibi,
Tu quando è nihilo feceris omnia.
Authori an' ne uoluntas
Morem humana geret ſuo?
Quæſo ſis facilis, nomine enim precor
Haud indigna tuo, aut noxia proximis:
Quin nec iuncta mihi iſta
Votis damna feret meis.
Ex lege horribilem te tremet arbitrum,
Ex Euangelio concipiet fidem,
Puram & relligionem,
Et mandata ſciet patris.
Dextram ferre lubens tu miſeris modò,
Fruſtratisq; operæ ſpe propriæ ſoles:
Deſertum ergo iuua me,
Soliq; omnis honor tibi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Cedet. Te memori tunc ego pectore
Mirabor tacitus, te quoq; publico
Sacræ carmine turbæ,
Res geſtasq; canam tuas.

ODE X.

Contra inuocationem creaturarum.

O Pupillorum tutor pie pauperum patrone,
Gregisq; paſtor creduli benigne (moles,
Aſpice quam grauis incumbat mihi perferenda
Et quæ malorum deuoranda lerna.
Et tamen ad ſolum te lumina ſubleuare noſtra,
O' Chriſte nobis ſpes ſalutis una
Audemus, ſermone tui patris obuiam repreſſi,
Qui uerba ſemper mandat intueri,
Præceptumq; ſuum, quoties tibi pro ſalute grati
Cultum paramus non abominandum.
Qui uetat & fieri ſibi, quæ ſibi non requirit ipſe
Palàm libellis annotata ſacris:
Vt diſcamus ei noſtras nihil eſſe functiones,
Ni corde fluxas ex obediente.
Porrò ſuo nullos mandat pater inuocare uerbo,
Te præter unum dulce clamitantem: (cuncti,
Quos grauis ira Dei, quos crux premit, huc adeſte
Meumq; læti nomen inuocate.
Et quodcunq; mea numen patris in fide petetis,
Habebitis, me leniente patrem.

Ergo

Ergo iam nihili rem ducimus impia docentem
Lingua, ſepultos inuocare diuos. (ullum
Nos etenim quanti ſumus, ut temerè inuocemus
Quem Chriſte tu non tradis inuocandum?
Cæci nos ſumus, & palpãus in horridis tenebris,
Vt umbra terræ quum reduxit aſtra. (ſtris,
At flugens pedibus ſermo tuus eſt lucerna no-
Monſtransq́; lumen ſemitam terendam.
Quare, quũ doceas nullũ unice dux tuos precari,
Cum patre quàm te, ſpiritumq́; ſanctum:
Nos noſtra haud faciet ſapientia ſtulta tã feroces,
Vt noſtra adacti cogitatione,
Præſidia incerto pro te noua poſtulemus ore,
Quæ non tuo ſunt conſecrata iuſſu.
Sed rex fide, manus potius tibi ſubleuamus uni,
Et (ſæpe quanquam differas medelam)
Vulnera detegimus ſoli tibi noſtra, tu patronus,
Iudexq́; noſter, dum iuuemur, unus.
Tu ſaltem miſerere igitur, miſerere te precantũ,
Quos, ni iuues tu ſolus inuocatus,
Nemo iuuat: nullũ noſtræ, niſi te, preces loquũtur,
Ne deſeras nos quæſo deſtitutos.
Cur nos opprobrijs oneret mala, te ferente, turba?
Dicatq́;: Spernit Chriſtus, & recuſat
Hæreticas audire preces, ubi te precamur unum?
Atqui loquela nos tua huc adegit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Surge, ueni, propera, miſeros rege nos tuos cliẽtes,
Tibiq́ ſoli pauperes relictos.
Iraſci noſtris te ſæuiter hoſtibus prophanis
Palàm fac, emptis at fauere nobis,
Ferre graues alacri qui pectore malumus labores,
Quàm tranſgredi quæ iuſſa tu dediſti: (ptor,
Gloria, laus & honos hinc ut tibi Chriſte ſit redẽ
Turba beatos eligente calles.

ODE XI.

Cur Chriſtiani iam comburantur.

IMpietas hominum quas non excogitat arteis
Ad tua membra Deus
Turbanda, & penitus cruce deterrenda minaci,
Ne tua iuſſa colant,
Ac teneant? en ignem etiam ſuccendere uiuis
Aggrediuntur eis:
Cognita quæ paucis antiquitùs ultio ſanctis,
Martyribusq́ fuit.
Iam, quaſi communi, redeunt ad ſidera flammis
Agmina Chriſtadûm,
Supplicio. cur tu genitor permittis, ut atrox
Mors uoret iſta tuos?
An quia præ foribus iam conflagratio mundi
Totius illa cubat?
Idq́ uelut ſigno mortalibus omnibus iſto
Significare cupis?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

An magis oſtendis tacite ſua fata prophanis,
Exitiumq́ breui
Irruiturum, ubi perpetuo toſti igne gehennæ
Turpia facta luent?
Chriſtiadis peccata manent quidē, at illa patroni
Oblita iuſticia,
Et ſtudio uitata ſuo: pœnamq́ perennem
Hinc licet effugiant,
Non omnē tamen effugiunt pœnā. immò priores,
Anteq́ iudicium
Extremum Domini coguntur uindicis iram,
Sæuaq́ ferre mala.
Interea ſecura quidem gens impia uiuit,
Fauſtaq́ cuncta ſibi
Credit, & ignorat fœdum ſe crimine, uultum
Lege tegente ſuum:
Verùm poſt inopinus eis pauor, atq́ æternus
Irruet interitus,
Tam grauis, ut linguis procul à mortalibus abſit
Omnibus eloquium.
Nam ſi difficile eſt ſeruari, nec niſi flammas,
Ac genus omne cruces
Perpeßi uel ſancti ægrè dignantur Olympi
Lumine perpetuo:
Quid turbæ reprobæ dicemus quæſo futurum,
Quæ pia iuſſa Dei

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Calcat? an aſpectum rigidi perferre ualebit
Iudicis illa trucem?
O quos tunc igneis erit, ærumnasq́ ferendum,
Quin magis ô miſeri
Conuerſi, eligitis fluxos tolerare labores
Cum grege Chriſtiadûm?

ODE XII.

Canticum Noæ cum ſuis arca.

O Brutas tranſit leuis arca terras,
Nosq́ conſeruat tumidis ab undis,
Nos Deo charos, madidoq́ ſolos
Orbe relictos.
Quotquot heu cunctis homines in oris
Vixerant, uno periere menſe:
Nullus euaſit rigidi tumentem
Iudicis iram.
Nemo tam cautus, pedibusq́ pollens
Extitit, qui uim potuit cadentum
Imbrium cœlo, laticesq́ ruptæ
Vincere terræ.
Vidimus multos, quibus una triſte
Mens erat letum fugere, hîc ſupremas
Turrium partes trepidos, ibi altos
Scandere montes.
Verticem at nactos aqua conſecuta eſt:
Immò iam tenſis quoq́ ceu petentes

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Brachijs axem, pauidoq́ uultu,
Obruit unda.

Nos Dei mira pietate ſoli
Cœtus exilis, pelagus per altum,
Ceu manu, læti miſeris propenſi
Numinis imus.

Hoc rei uerè typus eſt latentis,
Nempe quòd Chriſtus populum inſtar arcæ
Credulum ſeruet, maledictione,
Morteq́ tutum.

Præter hunc unum nihil extat uſquam,
Quod reos fœdi uitij à gehenna
Soluat: ut nil heic nece, præter unam
Liberat arcam.

Splendidis altos licet occuparis
Actibus montes, uacuus patrono,
Nil erit, regis neq́ ſic minacem
Fugeris iram.

Namq́ tam cautos, agilesq́, celſis
Montibus fiſos fera merſit unda,
Quàm pigros, planum ſua qui per agrum
Tecta tenebant.

Porrò ut haud paucos trepidare circum,
Fabricam ſpretam ſibi ceu dolentes,
Et ſacram ſerò nimis expetentes
Vidimus arcam.

Nec

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Nec grauem uitaſſe tamen furorem,
Quod Dei ſcirent monita executos
A` truci immunes pelago futuros,
Pollicito eius:
Sic neq; euadet quis ab imminente
Morte, placatum eſſe Deum tametſi
Omnibus norit Dominum fideli
Corde ſecutis.
Ipſe confidat Domino neceſſe eſt,
Et ſciat motum ſibimet fauere,
Ipſius flatu quoq; recreetur,
Et ſit in ipſo.
Nos uti haud extrà ſumus, aſt in arca:
Sicq; ridemus pelagi tumorem,
Te duce audaces, tibi ſit perennis
Gloria numen.

ODE XIII.

Quis ſit pius.

QVi ſquis colendi numinis anxius
Haurit fauorem pectore credulo,
Miſſoq; confidit patrono,
Chriſtigenis pius ille doctis
Aptè uocatur: ſi pietas tamen
Inflammet ipſum numinis agnita,
Cogatq; fratres indigentes
Vſq; ſuis recreare donis.

Præſer-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Præſertim & almi ſi placitis Dei,
Veriſq; ſeſe cultibus obliget:
Vnaq; Chriſti uoce ductus,
Falſa pia ſacra mente ſpernat.
Vox ecce Chriſti ſola facit pios
Ipſam ſequentes: linquit at impios
Ipſa carentes, quanquam honeſtis
Externis celebrentur actis.
Pius uocandus nec Numa, nec Nero:
Cœlo hic, & orbi peſtiferat nocens:
Aſt ille per multa erigebat
Sacra, Dei tamen abſq; iuſſu.
Aequè ille nobis impius, & Deo,
Deo ſed uni Pompilius Numa.
Nos nil uidemus deſtituti
Luce Dei, Deus ipſe iudex.
Tu qui piorum iungere te choro,
Datisq; ei uis pollicitis frui,
Te recreet uox nocte Chriſti,
Luce tuos moderetur actus.
Plantis piorum uox radiat Dei,
Et per beatam ducit eos uiam,
Ne non ad occultata nocte
Saxa, rei ſua crura frangant.
Hinc & prophanos, & ſimul impios
Odere cultus: ambroſiam interim,

Et

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Et ſuaue nectar ſuſpicati
Sacra Dei decorata uerbo.

ODE XIIII.

Querela Lothi.

SVbuerſa patria, coniugeq́ in modum
Durata ſilicis, triſte graui Lothus
Fudit pectore carmen,
Talesq́ ore dedit ſonos:
O quàm dura reis ira uenit Dei,
Natæ? quis pauida non tremat impius
Eius fulmina mente?
Quis non horreat illius
Peccans iudicium? non'ne liqueſcere
Monteis ira Dei tam citò fecerit,
Tanquam admota uoraci
Flammæ cera reſoluitur?
Nunc non immeritò collibus inquiet
Irati ueritus lumina iudicis
Grex damnatus: ab ira
Illapſi abdite me Dei.
Hinc ſeruite Deo, perniciem quibus
Euitare placet cordeq́ ſubdito,
Perfectoq́ timore
Sacram currite per uiam.
Damnatas moniti linquite ſemitas,
Impurasq́ uias, quas athei terunt:

Veſtra

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Veſtra at corda, pedesq́;
Ad legem properent Dei.
Hic impunè diu ſæpe quidem gregis
Fert peccata mali: ſed tamen omnia
Tandem crimina pœnis
Vlciſcetur atrocibus.
Huius nemo manum iudicis effugit,
Qui deliquit hic & lynceo hypocritæ
Nudam lumine mentem
Cernitq́, & Stygi mancipat.
Nimirum rigidam nos rigidè iubet
Legem implere ſuam: nec patitur ſuum
Vllam in corpore ſordem,
Vllum in mente piaculum.
Cœleſte ingenium flagitat, abijcit
Affectus ueteres, ingeniumq́ Adæ
Punitq́ acta ſecuta,
Nos exempla uelut docent.

ODE XV.

Quis ſit hypocrita.

SCriptura quem nam dicat hypocritam
Permulta ſacri membra ſugit chori:
Pleriq́; cenſent eſſe, quiſquis
Ore Dei ſata uerba ſpernit,
Vt ſancta latæ cœlitus abijcit
Precepta legis, ritibus impijs,

Fictaq́;

Fictaq; dedens membra ſacris,
Membra uagam comitata mentem.
Sed exul hic eſt a Domini grege,
Nec filium, illum corripit ut ſuum
Scriptura: ſed ſpretum ſeuero
Iudicio taciturna linquit.
Oportet ergo ſit quis ab agmine
Nondum fideli pulſus, id eſt pius
Cenſendus externos per actus,
Dogmataq; immaculata uerbi.
Hic, ſi, fidelem ſe foris exhibens,
Horrente Chriſtum pectore non uidet,
Viuitq; carni non renatus,
Citra oleum, ſine nuptiali
Toga (tametſi fallat eum nihil,
Rudeisq; norit ludere ſcommatis,
Nomenq; hypocritæ probroſum
Obijciat tumido ore cuiuis)
Eſt ipſus (en quam iudicium Dei eſt
Noſtro remotum ſenſui) hypocrita,
Quem ſacra uatum ſcripta damnant,
Cuiq; Erebi minitantur ignem.
Hinc parce linguæ quiſquis ades pius,
Nullumq; mordens, ipſe time Deum:
Non ille uerbis mitigatur,
Scire parum ſua iuſſa cenſet.

Im-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Implere uero corde ſuos ea
Vult abſq; fuco, uult homines nouos,
Iuxtaq; mentem recreatos
Eſſe ſuam, ſibi dum placebunt.

ODE XVI.

Confeſsio ueræ fidei.

MEns es omnium pater
Tu gnara rerum, & fortis, atq; iuſta,
Fidaq;, & pyſſima,
Et caſta, donisq; omnibus beata.
Et creator omnium
Cum prole rerum, ſpirituq; ſancto,
Conditæq; machinæ
Omnino rector liber uniuerſæ.
Aſt homo, en opus tuum,
Licet creatus rectus & beatus,
Cæcus eſt, & impotens,
Fœdatus atra labe, conditoris
Negligens, & inſcius,
Carensq; amore proximi, ſuisq;
Pronus uſq; commodis:
Damnatus unde & lege iam ſeuera,
Neſciaq; parcere
Expectat ignes, hei miſer, perennes.
At benignus hoc tuum
Rebelle plaſma tu nouare quæris:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Ac minace nos tuo
Primùm ore terres, indicasq́ crimen,
Criminiq́ debitam
Pœnam, idq́ prauis lege reſtituta.
Si cor hæc in intimum
Noſtrum ſubintrat uox Dei, grauiq́
Nos pauore concutit,
Peccata nobis inuidioſa reddens:
Ecce tum noua pater
Suum, piaq́ trita per miniſtrum
Voce corda recreat,
Nobisq́ mirè ſeſe ait fauere.
Porrò nec piacula
Punire iuſtis noſtra uelle pœnis,
Propter unicum ſuum
Natum patronum ſontium ordinatum,
Qui ſua nece omnium
Culpam abrogauit, paſſus ipſe pœnam,
Omnibusq́ dat, ſua
Qui non repellunt infidelitate:
Sed fide quaſi obuia
Oblata ſumunt gaudia haud caduca.
Si cor hæc in intimum
Noſtrum penetrat uox Dei, ſupernè
Spiritu Dei ſuum
Afflante numen, tum nouum renati

Cœlitùs

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Cœlitùs ſumus genus,
Bonosq́ʒ fructus hinc Deo probatæ
Proferemus arbores,
Legemq́ʒ ſanctis exprimemus actis
À Deo datam, licet
Sæua inquinatis hæreat medullis
Pronitas adhuc malo,
Vetetq́ʒ iuſtos lege nos haberi.
Quare ubi intuebimur
Nos mente, noſtraq́ʒ acta, præ dolore
Lachrymemur ilico:
Sed intuentes unicum patronum,
Tum leuata recreet
Nos mens, Deoq́ʒ grata cantet hymnos.
Interim ſtudebimus,
Vt cum timore ſemper ambulemus,
Ne pio horridam patri
Vita maligna concitemus iram.
Iuſtus eſt enim, & ſuo
Procul fauore reprobos abarcet.
Obtinere nec fidem
Poſſunt maligni, ſpiritumq́ʒ ſanctum.
Ergo ſedulò uiam
Cuſtodiamus rectam, & inuocemus
Mente ſeria Deum,
Dux lubricos nos fidus ut gubernet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE XVII.

Contra legem cœlibatus.

Carmen dulce Paphnutius
Niceno cecinit concilio, ſacro
Feruens uiſcera ſpiritu:
Quó nam proruitis corde patres graui?
Mirantes ita cœlibes,
Damnare ut placeat lege ratum Dei,
Conceſſumq́ quibuslibet
Semper coniugium? haud Zelus hic eſt pius.
Iſtoc obruta caſtitas,
Haud firmata, ſemel conſilio cadet.
Illiusq́ loco uagas
Toto, ac illicitas orbe libidines
Mox regnare uidebitis.
Pro ſacro uetitum quæritis inſcij,
Pollutumq́ uiri ſtatum:
Nam ridet uitium corde latens minas:
Immò obnitimur agnito
Omnes imperio. decipulam ut leo
Trux ingreſſus, ubi exitum
Caſu reſpiciens non uidet, amplius
Blando non capitur cibo,
Tantum difficiles anxius exitus
Tentat: ſic quoq; flamines,
Demptum lege ſibi connubium ratos

Tandem

Tandem polluere haud ſuum
Captos indomitus coget amor thorum,
Damnataſq́ libidines
Extra coniugium, corde ſequi uago.
Mox & prona ſuis comes
Ibit plebs ducibus: ſicq́ uidebimus,
Flammis uindicibus ſolum
Purgandum Sodomæ more fidelium.
O quam flebile poſteris
Hinc æuum ueniet? crimine triſtius
Nil eſt immedicabili.
Illos quippe manet iudicium Dei,
Qui ſcortantur, & igneis
Vruntur iaculis corda Cupidinis.
Cui (paucos modò dempſeris
Rara dote) poteſt nemo reſiſtere.
Damnoſum en adeò eſt, uirum
Adiutrice procul uiuere compare.
Verùm coniugium ſacra
Latum lege, patri ſceptrigero placet:
Atq; uxore frui ſua
Supremi ad placitum numinis, integra eſt,
Ipſo iudice, caſtitas,
Perſoniſq́ decus grande quibuslibet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE XVIII.

Precatio in metu perſecutionis.

O Deus, ô redemptor (labores?
Fide, quò tantos animo perferimus
Quò mihi crux moleſta
Semper incũbit miſero? quò proceres cruento
Gutture purpurati
Inſimo de me famulo, triſte, tuo recenſent
Verba minata lethum?
Dum tamẽ tu ſcis, auido corde tibi miniſtrem.
Obſecro me benignus
Liberes paruum, neq; me tradideris uorandum
Dentibus huius urſi:
Ni ſimul uires inopi ſufficias alacri, ut
Corde queam nouatus
Dexteram perferre tuam: fata ſubire non ſum
Par ego ui meapte:
Impotens uerò nimium, languidiorq; iuſto
Huc ades ô, tuoq;
Cœlitùs cor tange meum pneumate, meq; tantis
Ponderibus ferendis
Vel parẽ fac, ſi tibi ſtat plurima noſtra plagis
Crimina uindicare
Triſtibus: nam ſum reus, & flagitijs perenni
Fœteo morte dignis:
Nec mihi quicquã uel atrox feceris immerenti:
Vnde

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Vnde tuæ & libenter
Me uoluntati penitus trado, tibiq; ſubdor:
Vel potius benignus
Libera, pronumq; humili pande tuū fauorem,
Ac tua mira cordi
Lenitas ſit nota meo: meq; neci minanti
Eripe, meq; ſerua:
Nō enim immerſi tumulo, grata tibi miniſtrāt
Carmina, ſed ſuperſtes,
Ac tuā lucem duplicem, ſuaue uidens in alto
Monte tui fauoris
Te Deus, nomenq; tuū clima canam per omne.

ODE XIX.

Contra tranſubſtantiationem panis in cœna Dominica.

QVum cœnæ æthereæ Paſchaſius recens
Firmis conſpicui ceu rationibus
Panis materiam demere pergeret,
Vates triſtia Bartramus
Cantans fata: Mala, dixit, aui probas,
Id quod poſteritas hinc miſerabilis
Dum pugnare uolet, non ſine ſanguine,
Mentem docta, luet, Dei.
Heu heu quanta moues funera cœtui
Sacro, quanta feris bella fidelibus?
Iam ſurgent uirides, proh pudor, arbores

In ſtragem populi pij.

Iam ſanctum uideo proſtitui cibum,
Cumq́; illo Domini degenerem gregem
Mœchari uetitis cultibus, ac genu
Illi flectere ceu Deo.
Illi luminibus facticijs quoq;
Caſſo, cereolas atq; lucernulas
Et noctu, & nitidum ſæpius ob diem,
Ardere eminus intuor.
Quin mox & fragili materiæ ſua
Fundent uota rudes, non ſecus ac Deus
Iam non æthereo fulminet è throno,
Acceptetq́; pias preces.
Non iam cœna diu myſtica poſteris,
Quam coram Domino lætus edat piũm
Grex, iſtoc Stygium dogma ſequentibus,
Aſt excelſus erit Deus.
Idolum immò merum ſtare loco ſacro
Quod uidit Daniel. Siccine prandium
Chriſto authore datum per te erit horrida
Caſtis nauſea mentibus?
Quanquam nunc tumidi ſacrifici tibi
Plaudunt, ac celebrant officium tuum:
Ac tu uictor eos, qui tibi ſentiunt
Diuerſa, & premis, & premes:
Grato idololatris ritè ferociens

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Inuento, ac ueluti nactus amabilem
Iam uictoriam ouas: uincet in ultimo
Verbum ſine tamen Dei.
Tandem & Ierobaal miſſus, & Helias
Oppugnare alacres te uenient, neq;
Tum flammis dominans, nec gladio truci
Aeternum fugies probrum.
Aſt orbi interea peſtis eris nocens,
Armabis reprobos lugubris, & rudeis
Abduces animos tramite deuio,
Ac doctos adiges cruci.

ODE XX.

Querela profugi propter Euangelium.

NIdos hirundo iam repetit ſuos,
Alauda cantat læta per aerem:
Quin cuncta ceu rident creata,
Viuifico redeunte ſole:
Sed blanda nobis patria linquitur,
Notiq; cuncti prorſus inertibus,
Sedesq; turbati periclis
Corde graui petimus remotas.
Ac dura pectus deiiceret mihi
Fortuna, ſi non ſancta foret tua
De me uoluntas, deq; iuſtis
Omnibus, ut cruce maceremur.
Sic Abrahamus Nimrotico pater

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Ereptus igni, & cultibus impijs,
Errauit ignotos per agros,
Dura ſequens tua iuſſa quondam.
Sic fratris iram iure tremens Iacob,
Eiusq; proles uendita, ſic manum
Vates Ieſſæus cruentam
Quum ducis effugeret ſuperbi:
Sic tota ſemper turba fidelium,
Ceu non latenti cognita numini,
Vrgente tabefacta luctu eſt,
Inq; plagis gemuit remotis.
Oportet hoc & nos iter ingredi, ac
Te Chriſte fracta mente ſequi, tua
Dum membra cenſeri, ac potiri
Gratuita uolumus corona.
Manum en parati ferre ſumus tuam:
Leueisq; pœnas malumus hic pati,
Quàm poſt gehennæ cum prophanis
Perpetuò ſepeliri in igne.
Tantum in ſeuera fac pietas tua
Spectetur ira, mîq; nite fauens,
Et me guberna deſtitutum,
Sisq; uiæ mihi dux, comesq;.
Sed ecce uoto mirificè meo,
Valdeq; clemens hactenus annuis:
Nam nocte, curſuq; abſoluto,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Das pluuias: nitidum at uianti
Cœlum benigno cum Zephyro exhibes,
Ac ſolis iram nubibus occulis.
Quin & quòd agro Magdeburgi
Me comites abeunt relicto,
Neq; id meis fit rebus inutile:
Confecto enim iam prima negotio
Lux obſtupeſcenti quadrigam,
Atq; nouos comites miniſtrat.
Defunctus autem curru eo, adhuc pedes
Infirmus, incultam ingredior uiam,
Te fretus uno: ſed precanti
Currus adeſt, quaſi miſſus axe.
Hinc iam gubernans æthera cum ſolo
Mihi nites, & propitius Deus:
Te perge mitem quæſo paruo
Pingere, meq; comes petitæ
Tandem inſer urbi, meq; ibi dirige
Coram eruditis atq; pijs uiris
Fauſtè, ſed inprimis perennem
Vſq; fauens mihi pande uitam.

ODE XXI.

Luminum aliquot Eccleſiæ commemoratio.

QVem pium, ſanctumq; lyra ſacrata
Sumis Euterpe celebrare noſtra?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

An fide uera placitum ſupremo
Numini Abelem?
Cuius incenſum leue ſcandit axem,
Vnde & incurrit Phlegetontis iram,
Et ſuum primus Domini cruorem
Nomine fudit.
An polo abreptus nece liber Enoch
Dignus in primis erit ut canatur?
Cum Dei callem comes eius omni
Triuerit hora?
Et Noah iuſtus micat unus inter
Impios multos, adeoq́; ſolus
Cum ſuis iram Domini, ac tumentes
Effugit undas.
Sic Dei quiſquis placidi fauore,
Spirituq́; haud iuſtus erit, peribit
Solus euadet pius, & fidelis
Pectore uero.
Te fidi dicam quoq;, quum labante
Gente mortali, ſteteris fidelis,
Vim tyrannorum Babylonicorum
Paſſus iniquam.
Prodit hinc Abram celebrandus heros,
Quem Deus cultu Stygio euocatum
Soluit, ignotasq́; uelut bidentem
Duxit in oras.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Ecce cœleſtem Domini fauentis
Audit hic uocem, fidem habetq; uoci:
Vnde, ei culpa penitus remiſſa,
Iuſtus habetur.

Ipſe tentatus quoq; non uacillat,
Nec ſuum natum fugit immolare
Ex Dei iuſſu, neq; ſpe futuræ
Poſteritatis

Excidit flexus tamen. Inde Ioſeph
Venditus fratrum rabie æmulorum,
Carceri incluſus quoq;, tandem ad alta
Culmina regni

Fertur, ac dura fame maceratis
Fratribus, patriq; cibos miniſtrat:
Territis & ſe bene ſomniaſſe
Comprobat olim.

Mittitur celſo uelut axe Moſes
Ductor afflicto populo, iugoq;
Liberat preſſos Pharaonis, atq;
Lege miniſter

Cœlitùs lata reprobos cohercet.
Vnctus in regem fuit & Dauides:
At diu regem tamen æmulantem
Horruit exul.

Hinc ſui ſæuos animi labores,
Et ſuos dulci quoq; liberatus

Ad Deum defert cithara, piaq́ʒ
Voce triumphos.

Helias uates reprobos minaci
Territat lingua, pluuiasq́ʒ terris
Arcet, ac poſtquàm profugus cruentam
Ieſabelem
Fugit, ingentesq́ʒ tulit labores,
Viuus ignito petit aſtra curru,
Putribus nobis quoqʒ membra rurſus
Integra ſpondens.

Mox puer fulget Ioſias, & omnem
Cultibus terram releuat prophanis.
Daniel captus placet, ac ſtuporem
Inijcit hoſti,

Doctus arcanum quoqʒ cogitatum
Regis, atqʒ iram reprimens leonum,
Dum ſuum, ſpreta, Dominum precatur,
Lege monarchæ.

Temporis gnarus fuit & futuri,
Regnum & inſtantis uidet omne ſecli:
Quando item uerbum caro facta, patris
Poneret iram.

Ipſe Nechemias quoqʒ captus urbem
Plangit euerſam Domino uidente,
Miſſus & grato laceræ labore
Mœnia reddit.

Liuid

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Liuidi tentant inhibere ſurgens,
Nec ualent hoſtes opus. inſtat ille
Dextera ſudans operi, ſiniſtra
Sed gerit arma.

Dico Baptiſtam quoq; nuncium, ceu
Phoſphorum Phœbi properantis, ipſe
Triſtis obiurgat reprobos, monetq;
Crimina uitent:

Ipſe conuerſis quoq; monſtrat agnum,
Qui ſua patrem populo fideli
Morte placaret, fieretq; turbæ
Paſtor egentis.

Agnus hinc mundo nituit ſtupenti,
Atq; eum cinxit, trepido dicata
Clara lux orbi duodena turba
Diſcipulorum.

Inter hos Paulus, modò perſecutor
Durus à Chriſto radiat repreſſus,
Nocte ceu paruis uaga comparata
Delia ſtellis.

Aſt Iohannes, reliquis ademptis
Vi tyrannorum, regit unus orbem,
Ac diu certa mala uoce uindex
Dogmata calcat.

Surgit hinc nulli numeranda turba
Martyrum, ob charum ſua qui libenter

Mem-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Membra tortori laceranda Chriſtum
Expoſuerunt.
Et ſimul qui uoce gregem puſillum
Cœlica Chriſti docuere, fœtas
Hoſtium ſectas inhibere toto
Corde ſtudentes.
Hoc flagrans egit Cyprianus, hoc &
Naz ianſenus, uetus & Cyrillus,
Hoc & Auguſtinus ouans acerbo
De malè ſani
Prorſus oppreſſo pelagi furore,
Ac pia pergens populos gubernat
Voce, ſanctorum dein omne turbæ
Doctor in æuum.
Quin meam nec tu fugies Thaliam
Claræ Alexandri pie paſtor urbis,
Arrij uictor, profugusq; uicti
Nutibus idem.
Tú ne Nicenum ſynodum Paphnuti,
Atq; nutantes moderare patres,
Dum parant ſacris noua cœlibatus
Vincla miniſtris?
Myſticam cœnam retinere ſudant
Bartramus, purusq; Scotus: ſed ecce
Victor, ut fato, ſacer Antichriſtus
Omnia fœdat.

Donec

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Donec armatus micuit Lutherus,
Ac diu inuictum pepulit tyrannum.
At diu non lux nitet illa cæco
Fulgida mundo.
Sed nitet tanquam radians benigno
À Deo nobis data fax Philippus,
Dum lupos arcet, ſolioq́ Chriſtum
Collocat alto.
Sit diu charo populo ſuperſtes,
Alme da quæſo Deus: atq taleis
Perge rectores dare, nec relinque
Paſtor ouile.

ODE XXII.

Gratiarũ actio pro reualeſcẽte ſorore.

TV clemens Deus es, noſtraq́ ſuſcipis
Mitis uota ſimul. namq tibi modò,
Aegrotante ſorore,
Fudi has mente preces graui:
Clemens omnipotens reſpice nos pater:
Nam uiſo medicus lotio, ubi tria
Fundo ſigna coibant,
Morbum lethiferum canit.
Aegrotæq́ mihi forma parum ſpei
Præbet: ſed nitidum tu Deus æthera,
Terrarumq́ gubernas
Orbem, liber ab omnibus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Naturæ monitis. tu ſiquidem iubes
Quondam ſolis equos ſiſtere: tu retrò
Cogis flumina, ponis
Et plantis mare peruium.
Iam nobis etiam lucidus ô Deus
Adſis, ac remoue fata uetantia,
Atq; hanc Dorcada noſtri
Sanes obſecro ſeculi.
Quantus namq; domus eius in angulis,
Anguſtæ licet, eſt cœtus egentium?
Effunditq; liquentes
Mœſto pectore lachrymas,
Nutante hoſpitio, fertq; tibi preces?
Communes pater has accipe tu pius,
Conſeruaq; ſororem
Charam nominibus mihi
Multis. hæc placidus uota Deus mea
Cæpit. nam ſubitò, denuò lotio
Viſo, iamq; nouato,
Spe plenus medicus redit.
Liquit morbus eam, grataq; ſanitas
Paulatim redijt. ſiccine tu Deus
Audis uota propinquus,
Abſoluisq; precantium?
An laudata fuit natio, quæ ſibi
Vicinos adeò contulerit deos,

Noſter proximus ut rex
Audit murmura ſupplicum?
Quæſo perge preces accipere hinc meas,
Non me, nec meum opus futile, ſed tuum
Natum, corde propenſo,
Patronumq́ uidens meum,
Germanæq́ meæ, nec minus omnibus
Vt conſanguineis obſecro proroges
Grata munera uitæ,
Seruesq́ incolumes diu.
In primis fidei lumine fulgidi
Sanæ permaneant inq́ tuo pater
Sancto quæſo timore,
Suſtententq́ ope pauperes.

ODE XXIII.

Ad amicum defunctum.

SAnguine, ætate, ſtudioq́ pridem
Chare coniuncti fuimus Galene,
Par amicorum quaſi ſeparandum
Tempore nullo:
Ceuq́ canturi pariter patrono
Debitos hymnos, ita tanquam eadem
Viſa ſunt multis agitata bina
Corpora mente.
Sed dies hanc ſpem tulit una, tuq́
Incidis fatum: prius autem utriq́

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Mî grauem ſortem, tibi gratulandam
Vaticinatus,
Morte dum palles properante, porrò
Proprio ſenſu uacuus, Deiq́;
Abdita lapſi miſeræ parentis
Poſteritati
Luce donatus: mihi ſare terris
Eſſe cantandum, tibi uerò amaris
Libero curis, modulandum in alto
Culmine cœli.
Sic abis, finisq́; tuos labores,
Ac pium fœlix Dominum poeta
Concinis, grato tua comprobantem
Carmina uultu.
Eſt quies nomen tibi, uita manſit,
Dum quies durat: ſimul atra uerò
Cura reſtabat, petis inter aſtra
Celſa quietem.
Interim ſæuas ego ferre mente
Natus ærumnas, dubiosq́; caſus,
Impio mixtus generi, minaces
Necto querelas.
Turturisq́; inſtar gemo, dum uidere
Cogor humanum genus omne fermè
Decipi, gaudere, Deiq́; chara
Spernere iuſſa.

Quum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Quum tua hæc de me tamen eſt uoluntas
Chriſte, parebo tibi perlibenter,
Ac tua iniunctum mihi uoce munus
Lætus obibo.
Anxia uerò peto te redemptor
Mente, ne talis uager hic poeta,
Vt neger gratus tibi diſſoluto
Corpore uates.
Non ita has Odas amo, ſed uidere
Flagro te coràm Deus, atq; uiſo
Horridas nulla macula beatus
Pangere grateis.

ODE XXIIII.

Laus Vitenbergæ.

L*Audãda eſt alij diuerſa Academia uati,*
Vel Muſis Baſilea ſacratis
Inclyta, uel rapido ditata Colonia Rheno,
Marpurgum ue', aut Lypſia diues,
Aut mare Roſtochium iuxta boreale locatum,
Vel nobis Oxonia grandi
Diſiuncta Oceano, aut Romanis nobile Muſis
Louanium, uel Parrhyſiorum
Vrbs antiqua, locis uel clara Bononia cunctis:
At mihi Vitenberga canetur,
Parua ſitu, non parua tamen, ſi munera ſpectes:
Nam foris & ſpirantis odoris

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Sylua frequens, aerq́ fragrans, & cãpus apertus,
Et mons eſt prope uitiſer: intus
Florent ueræ artes, feruetq́ Pelaſgica lingua,
Sacraq́ uox Hebraica claret.
Hic & doctiloquæ ſedem ſtatuere ſorores,
Doctiloquisq́ ſacrisq́ loquaces
Omnia carminibus complent. mireris in uno
Oppidulo tot pſallere uates.
Præcipuè uerò placidi hic lux axe parentis
Miſſa liquet, pureq́ docetur.
Namq́ ſuos Deus huic legatos deſtinat urbi,
Qui doceant ſua iuſſa fideles,
Quiq́ gregẽ paſcant inopẽ, idq́ ſalubribus herbis,
Quiq́ lupos arcere laborent.
Angelus & Domini celſo demiſſus Olympo
Præſens cernitur, altaq́ iura
Dat populis, Dominiq́ memor propugnat honorẽ,
Atq́ rudi phantaſmata menti
Eripit, & preſſam tranquilla pace quietat,
Chriſto uim iaculante ſupernè.
Mirè hic æthereis, humilis merè ipſe, coruſcat
Muneribus, miraclaq́ ſecum
Ingenuo pater ore, ſupernaq́ robora confert,
Atq́ Deum uel fronte celebrat,
Certius at lingua mellita, te precor autem
Qui cœlum terramq́ gubernas,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

His opibus, tantiſq́; diu florere miniſtris
Hanc iubeas fœliciter urbem.

ODE XXV.

Precatio, pro uero cultu in Belgica erigendo.

COeleſte rector qui ſolium tenes,
Et noſtra clemens reſpice climata,
Noſtramq́; grata ſurge terram
Luce tui decorare uerbi:
Puriſq́; tandem pingere cultibus
Dirum Antichriſtum templa ſtrepentia,
Nondumq́; ab illius cruenta
Tuta manu, gladioq́; rapto.
Vt mitis oram Saxonidem uides,
Heluetiorumq́; oppida lucida,
Et cuncta natis arua lata
Teutonis, Angliacumq́; regnum.
Sic nos quoq;, ô rex alme fidelium,
Lupi minacis faucibus eripe,
Noſq́; à prophanis liberato
Ritibus, & ſimulachra frange.
Tuoſq́; cœtus, Belgica quos alit,
Laudata tellus, uoce bea tua,
Puroq́; cultu, teq́; ſolum
Chriſte miniſterio ſonante.
Te ſolum amamus, te colimus Deus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Collata tecum plaſmata ſunt nihil:
Tu rector unus, tu creaſti
Quicquid habet teres omne mundus.
Flagramus hinc deſiderio tui,
Tibiq́ caſtis quærimus anxij
Seruire membris, & uenena
Tartarei ducis execramur.
Sed liberari, proh dolor, haud tamen
A' carcere eius poſſumus horrido,
Nec publicè euitare ſacra
Noxia, ni ſumus immolari
Statim parati, qui fragiles, pudet,
Sumus, pigriq́ hoc perbreue ſeculum
Mutare uita ſempiterna.
Siccine uis Deus ardeamus?
Vel triſte ſaltem ferre necis genus
Simus parati nomine pro tuo,
Quicunq; uitæ te patrono
Participes erimus perennis?
At quæſo clemens eſto miſerrimis,
Nobisq́ cultus illicitos pius
Auferto tandem, perditisq́
Redde tuo ſacra picta uerbo.
Tunc, reſtituta pauperibus tuis
Vita, canetur laus tua: tunc tua
Spargentur horrentes per oras

Nomina,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Nomina, tunc tua turba creſcet.

ODE XXVI.

Laus Ebraicæ linguæ.

SE præter meritum ſperni, graue crimen ar-
Paßimq́ʒ raro cœtui requiri, (bitrata,
Et ſibi præferri Babylonidas, eq́ʒ labe natas
Ebræa cœlo miſſa lingua ſola (guis)
Prodit, & hoc ipſam ſe carmine (nã loqueta lin-
Commendat, ut ſic proſit imperitæ
Fida iuuentuti nuſquam ſua commoda intuenti,
Cæcoq́ʒ ſemper impetu ruenti: (ta,
Cur tibi cur amens quaſi ſordida negligor iuuen-
Dum ſcire quæris utiles loquelas? (gua
An qua ſacra meritò fuerit mihi præferenda lin
Quæ compta fictis fabulis ferocit, (atqʒ fluxũ?
Nec niſi quod uanum eſt, quicquam tibi tradit,
Immò minores luna ut inter igneis
Emicat, utq́ʒ aurũ præfulgurat omnibus metallis,
Collataq́ʒ olim regna uincit axis:
Sic ego præ linguis Ebraica ſplendeo prophanis
Iuculta quanquam iudicer ſuperbis,
Ac infrugifera, ac famæ minus utilis parandæ,
Nec eloquentes redditura myſtas:
Atqui me Deus eſt ab origine ſemper ipſe prima
Huc uſus uſqʒ, meq́ʒ nondum iniquus
In paradiſiacis uſus pater eſt & uxor hortis:

Et ſola linguarum abſq; labe fulſi. (phetis,
Quin & dilectis Domino data lingua ſum pro-
Qua dura plebis corda mitigarent.
Non tanta Cicero ui, non Plato fulminare quiuit,
Suisq; mentes innouare dictis:
Vna luce ſonans ut me Petrus in rudem coegit
Fidem, uirorum millia ad quaterna.
Namq; ego delapſas ex æthere lympido loquelas,
Et ſacra monſtro, ſuggeroq; uerba:
Verba, quib. frãgas adamãtina corda, fracta uerò
Rurſum potente lenias uigore,
Et ſimul inflectas, ut tempore ſeruiant in omni
Libenter illi qui redemit ipſos.
Græca dabit forſan pro uulnere corporis medelã
Inabſolutam, & Atropo minorem:
Aſt ego quæ mẽtẽ pauidã ſimul, integrũq; corpus
Seruare morte poſsit à perenni,
Doctrinam teneo: diſcas, puer, & beatus eſto,
Obnoxiusq; rebus in ſalutis
Ambiguis caue ſis uerſoribus: ipſe ſed peritus
In me recluſos, integrosq; uates
Conſule, perluſtraq; oculis, ita nõ manebis anceps.
Nil extat in me noxij ueneni,
Nil eſt quod fugias: heic omnia caſta, ſancta, uera,
Et fœta honoris, gloriæq; firmæ,
Solaq; linguarum cunctos ego dono me colentes
Aut-

Authoritate & regibus tremenda,
Subiecto & populo. per me pater, inclyta celebris
Fama, decenter ſurgit, ac niteſcit:
Per me concilijs immittitur aurei ſenatus,
Diuerſa ab orbis parte congregati,
Ac dubijs, pronisq́ meam canit uſq́ ueritatem
Heroibus, moxq́ eſſe certiore
Se factos animo gaudentibus: at domi beatam
Docet iuuentam, promouetq́ doctos
Cōſultus, fitq́ hinc uenerabilis, omnibusq́ gratus
Forſterus oris doctor ille ſacri.

ODE XXVII.

De abominatione Papiſtica.

TAle ſecurè mihi dormienti
Somnium uiſum eſt, ſimul ex eburna
Venerat porta, mea territurum
Sontia corda.
Oppidum ingreſſus Friſium uidebar,
Fœdum ubi templi loco erat lupercal:
Lege ſancitum quoq́, ne docere
Quis uelit, haud dum
Illud ingreſſus, pariterq́ quiſquis
Illud acceßit ſemel, haud relinquat,
Donec in uita fuerit ſuperſtes:
Mortuus autem
Templo in immundo tumuletur illo.

Porrò

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Porrò ibi ſpurci Salij docebant
Eſſe ſcortandum, Dominoq; fœda
Cuncta placere.
Quóq; doctrinam ſequeretur iſtam
Vulgus oblitum pietatis omnis,
Publicè exemplo ſua comprobabant
Verba nociuo.
Nempe, ſacrorum uice lecto in alto
Fœtidis, toto populo uidente,
Adiacent ſcortis, facinusq; patrant
Carcere dignum.
Hiſce de ſacris populus reuerſus
Corde ductores ſequitur lubenti,
Sic ut in tota domus omnis urbe
Proſtibulum ſit.
Hoc ſimul uidi, mea mens flagrauit
Igneo Zelo, ſtatuiq; quouis
Dira diſſuadere modò ſequaci
Dogmata turbæ.
Ergo dementi ſtimulatus igni,
Fœtido memet tumulo ſepulchro,
Damnoq; horrendum ſcelus, atq; puram
Exigo uitam.
At ſequi exemplum quoq; ſum coactus
(Ni mori mallem ſubito) neſandum

Extera

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Extera ſaltem ſpecie. arcui nam
Corpore caſto
Impium ſemper ſcelus: id tametſi
Vix mihi tutum fuerit notato,
Exigunt quippe hoc opus à miniſtris:
Dogmata uerò
Non rudes curant ita: ſic ab omni
Parte captiuus cruciabar, hinc mors
Exteros artus, aliunde mentem
Terruit imam.
Nam quidem pauci moniti cauebant
Praua, ſed multi miſero occinebant:
Si ſcelus tantum foret, atq; clamas,
Ipſe caueres.
Hic meum cæpit fera pœnitudo
Pectus, & largos inopi dolores
Mente potaui, ſupereſſe nec quæ
Viſa medela eſt.
Tandem ad excelſam pauidos Olympum
Suſtuli ſupplex oculos, pioq;
Serios fudi Domino precatus
Gutture mœſto.
Isq; commotus mea uota cæpit,
Atq; per luctum bene macerato
Angulum oſtendit mihi tutus unde
Emergere poſſim.

Quaq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Quaq; deducor fugiens olenti
Liber à templo, ueniamq; tandem
In meam rurſus patriam, quieto
Pectore gaudens.
Ergo præ magno, pereunte luctu,
Gaudio cedit ſopor, hasq; uictus
Palpebras linquit, uigiliq; uerſo
Pectore uiſa.

ODE XXVIII.

Gratiarumactio pro liberatione ab impio cultu.

TE ſupreme Deus canam per omnem
Vitam, quando meas preces benignis
Hauris auribus, ac tuam ſtupendam
Dexteram nec me fugis addocere.
En qui triſtis eram, nec eſſe curæ
Nuper me tibi penè cogitabam,
Fruſtrandisq; tuas ferire uotis
Abditas aures, cano iam refectus.
Nam nunc à Babylone liberatus,
Quam ſub corde diu tuli gemente,
(Mirando licet id, grauiq; carni
Sit modo factum, patria relicta)
Prono ſentio me Deo uideri,
Verbumq; ipſius eſſe ueritatem.
Hinc mens exilit, hinc refecta pſallit,

Dum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Dum recordatur bonitatis eius.
Hinc & uos, quibus atra cura pectus
Perturbat, Domino preces benigno
Veſtras fundite, non repellet ille:
Tantus eſt ardor miſeros iuuandi.
Quanquam tempore ueſtra ſæpe longo
Vota haud impleat, ut iuuare nolle
Credat mundus: &, ut poeta ludit,
Tranſum ad extremas abyſſe gentes:
Ne mens ueſtra tamen uacillet unquam,
Nec perterrita ſpem fidemq́ ponat,
Auerſum neq; ceſſet inuocare,
Quin eum iugi prece ſubſequatur.
Tandem certa ſalus enim futura eſt
Vobis, quotquot eum pauente corde,
Et uictrice fide manetis, atq;
Cuncta detectus tribuet petita.
Tunc uobis placido nitebit ore,
Terrenti ſimul eruet periclo
Turbatos, & ad auream ſalutem
Prouehet, uictor necis & barathri.
Natura illius eſt iuuare quoſuis.
Ergo quum latet abditus gementi
Primum, quærit & hoc iuuare pacto,
Vt ſciant toto ſibi nil relictum,
Quo ſperare queant in orbe, præter

Ex-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Excelſum Dominum, poliq; ſummo
Fulgentem ſolio, ſcientibusq;
Illud omnino uenit, & medetur.
A nullo procul eſt, licet putetur:
Sancto, menteq; eum pia timenti:
Immò proximus eſt ubiq; nobis,
Noſtraq; inſpectans moderatur acta.

ODE XXIX.

Cur iam non opus uideatur exactiore lima.

QVid nos magiſter Pieridas tuas
Ornare tentas ueſtibus aureis,
Haud inſcius ſummam ruinam
Decrepiti properare mundi?
Quid rodis ungues? quid'ue caput ſcabis,
Vt ſi uetuſti tempore Pindari,
Comptiq; prodires Horati?
Non eadem tibi ſecla current.
Hos exeuntes ante meridiem
Tum ſumptuoſis ueſtibus obuiam
Nutrire multorum decebat
Lumina pura diem per omnem.
Tu triſte cunctis nocte ſilentium
Suadente, nobiſcum egrederis piger
Atq; ergo uix paucis uidendæ
Quid tyrium remoremur oſtrum?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Sat uoce nobis perſpicua Dei
Cantare laudem, & teſtificarier,
Quicquid tibi, quicquid fideli
Præſtiterit populo benignus.
Vt audientes ceu thalamo in ſuo,
Hæc per quietem mente recogitent
Viuace mortales, tuisq;
Dulciter immoriantur odis.
At ſi excitati luce nouiſſima
Nobis uacabunt denuò, non togam
Noſtram, ſed internum requirent
Lumine tum ſapiente pectus.
Quin uos fideles iam quoq; ponite
Mores inanes. ſciteq;, tertio
Cœlo reuerſum, mira Paulum
Cum lacera docuiſſe ueſte.
Nec non ſecundum uilibus Heliam
Vaſti cameli crinibus horridum
Monſtraſſe fœlici datorem
Perpetuæ digito ſalutis.
Hanc ergo docti ne propius togam
Spectate craßis ſtaminibus rudem:
Sed uerba, quæ ſacra profamur
Voce, pijs reſonate linguis.

Libri ſetimi Finis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

CARMINVM RECENTIVM LIBER Octauus.

ODE I.

Exhortatio ad timorem Domini.

Timete uero pectore ſubditi
Deum fideles, lumine ſiderũ
A' ſe creatorum nitentem
Cœlitùs, & ſuperãte uerbo.
Quid'nam ille ſancto non tribuat choro
Clemens bonorum, qui ſobolem ſuam
Impendit ipſorum ſaluti,
Et ſcelerum dare pœnam acerbam
Præcepit illorum? Aſt ubi nec ſuo
Gnato pepercit, criminis haud reo,
Quid quæſo ſecuris futurum eſt?
Nec Dominum populo timenti?
Nil eius unquam difficile extitit
Dextræ tremendæ, dum cita flumina
Nigrante detorquere cœlo
In reprobos uoluit Cyclopas.
An'ne axe ſciſſo triſtibus imbribus
Iratus orbem degenerem obruit?
Fineisq; iuſsit conſtitutos

Vndi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Vndiſono penetrare ponto?
Sic fulminantis nemo grauem Dei
Euaſit iram, deme Noam, ſua
Cum prole, quos arcam ſubire,
Ne caderet genus omne iuſsit.
Sic & Gomorrham, quum ſcelere horruit,
Vrbesq́ iunctas ſuphure, & igneis
Detruſit obſcurum ſagittis
In barathrum, fugiente paruo
Cœtu piorum. Sic Babylonica
Polluta culpa, Perſica mox quoq́,
Dehinc Græca, nunc Romana forti
Sceptra manu ſcidit ipſe uindex.
Aſt & timentes æthereum Deum,
Ipſius à larga accipiunt manu
Promiſſa (deſperata quanquam
Terricolis) bona cuncta læti
Modo ſtupendo. Sic ſibi tranſijt
Electa ſectum progenies mare
Quondam, utq́ littus triuit arens,
Dum fugeret Pharaonis iram.
Tandem & recurrente, hoſtibus obrutis,
Fluctu, potiti mœnia gentium
Fortiſsimarum, cum quiete
Mellifluam coluere terram.
Ipſe & ſeneſcenti attulit Abrahæ

Semen, Dauidiq́ & profugo diu,
Tutamq́ ſedem neſcienti
Sceptra tulit data, fidus, ante.
Regi ipſe mitis fulſit & Hiſciæ,
Eiusq́ miris luſtra modis tria
Adiecit æuo fata calcans,
Quandoquidem timuiſſet ipſum.
Vot ergo quotquot munera cœlica
Speratis almi numinis, & ſimul
Geſtitis euitare diram
Perniciem, Dominum timete.
Nam prima uirtus corda Dei timor
Immutat ut nil ſit ſapientiæ
Cœleſtis infuſum, paterni
Cor quibus eſt uacuum timoris.
Deum timentes, iuſticiam illius,
Gratisq́ cœlum pauperibus datum,
Certoq́ confiſis patrono,
Eſuriunt ſitiuntq́ ſoli:
Non ulla tales fallit hypocriſis,
Non fucus illis, non ſimulatio
Peruerſa cælat cogitata:
Immò uident ſua corda nuda.
Hinc uerba nocteis atq́ dies Dei
Scrutantur, eiusq́ inclyta fœdera
Voluunt anhela mente, dulce

Præ-

Præſidium Domini flagrantes.
Aſt ipſe quum ſit ceu pater orphanis,
Cunctisq́ iudex pronus egentibus,
Clemens eorum uota ſumit,
Atq́ ſuam faciem ſerenam
Aduertit, ipſis à lachrymis genas
Tergens eorum, & gaudia cœlitùs
Infundit aſperſo iacentium
Pectoribus caritura luctu.
Soli timentes ergo Deum canent
Hymnos placentes, ac hilarè erigent
Cor uerſus altum ſemper axem,
Nec minitante trement periclo.
Deum timentes pectore ſerio
Non perpetrabunt omne leues malum:
Quin ſemper illius requirent
Ex animo, facientq́ iuſſa.
Aures patebunt ſedulò talibus
Ad audiendum iuſſa Dei ſui:
Verùm obſeratæ uanitatem
Effugient generis prophani.
Soli timentes numen amabile,
Nitentur ipſo mente anypocrita,
Ipſiq́ cultum perplacentem,
Et ſacra non odioſa reddent.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE II.

Precatio pro regeneratione.

SEruo perge tuo pater
Apparere pius, quæq́ tuo mihi
Verbo pandere non fugis,
Gratis exhibitam ſcilicet omnibus
Te quærentibus integro,
Conuerſoq́ tuam pectore gratiam, &
Vitæ munera cœlicæ,
Inſculpas eadem uiſceribus meis:
Confirmesq́ precor tua
In me dona, tuum putre nouans opus.
Ne me uirginibus die
Præſcripto fatuis aſsimilaueris,
Ignotumq́ uelut tibi:
Vnguentoq́ tui pectora ſpiritus
Orbatum, ædibus à tuis,
Heu, ſublimibus, ac terrigenæ inuijs
Cyclopum populo, arceas,
Occludens rigidum ſontibus oſtium.
Nec cœleſtibus horridus
Interſim, rogito, ueſte diutius
Impura ſinè nuptijs:
Nec iuſti populi ſim quaſi mortuum
Membrum, luce carens tua,
Flatuq́ æthereo triſte lutum uacans.

Ne,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Ne, quum uita cadet breuis,
Et ſiſtam rigido iudicio tuo,
A' Chriſto procul, & uelut
Subſtructa inueniar pulueribus domus,
Et collapſa, furentibus
Poſtquam quaſſa notis, & rapido fuit
Ponto, lege Dei, puta,
Nec non iudicijs illius agnitis.
Quare cunctipotens Deus
Corruptum renoua pneumate me tuo,
Donaq; intuear tuam
Chriſtum progeniem pectore uiuido,
Et ueraciter uniar
Illi, ſimq; in eo, ſpiritus & ſacer
In me uiuat agens tuus,
Et grata tibi me compede copulet.
Et me morigerum tuis
Præceptis faciat: tum tibi carmina
Pſallam. fortiter interim
In te ſpero pater, nec mea crimina
Specto, ſed tua fœdera,
In luctu poſitus. nec dubito fore
Veracem, neq; te pium
Cum natum dederis ſponte mihi tuum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE III.

Nulli impio de Chriſto gloriandum.

TEmplum, quod olim cunctipotens Deus
Clara ſacrarat uoce ſibi domum,
In qua precantum cuncta præſens
Acciperet, placidusq́ uota:
Clamore ſi quis ter gemino tamen
Laudauit, horrens flagitio, ut bono
Commotus affectu, & ſibi ſpem
Voce Dei ſimulans locatam:
Hunc uatis urget uox Ieremiæ,
Minisq́ ſæuis territat: An tibi
Peruerſæ mendaces loquelæ
Profuerint pietatis hoſti?
Qui fur, latroq́, & perfidus, & leuis
Idololatra es? tu ne mea domo,
Verboq́ ſpem certam locaris,
Ni ſcelera hæc fugias nouatus?
Sic Chriſtus eſt ſpes certa quidem pijs,
Ipſumq́ uero corde gerentibus:
Placatus his & rex Olympi
Gratuitam tribuit ſalutem.
Pars magna fruſtra Stentoreo tamen
Clamore Chriſtum iactitat, & fidem,
Dum pectus horret nuda carnem,
Atq; uias Erebi ſecuta.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Non proderunt hæ talibus impijs
Fictæ loquelæ. non enim iniquitas
Chriſto probatur: quiſquis autem
Reprobus eſt, fugit eius ora.
Nec turba coram luminibus Dei
Superba ſiſtet firma diu gradum.
Iuratus hoſtis quippe cunctis
Ille, uiam ſcelerum ſecutis.
Ipſosq́ tandem fulmine cœlitùs
Micante uindex exitio dabit:
Iugiq́ ſontes macerabit,
Heu, lachryma, fremituq́ uano.
Vos, alta forti ſidera qui fide
Deſideratis, ponite fœtida
Commiſſa, ſecureq́ poſthac
Flagitijs fugite immorari.
Quin quæſo tandem iam reſipiſcite
Verace corde: & paupere ſpiritu
Coram ſeueris ambulate
Luminibus Domini propinqui.
Seruateq́ eius dogmata ſubditi,
Chriſtoq́ certis fidite mentibus,
Veſtrosq́ germanos egentes
Chriſtiadas ope ſubleuate.
Tunc ecce uobis omnipotens pater
Prono fauebit pectore, tunc dabit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Heic fluxa quicquid uita poſcit,
Poſt domita ſua regna morte.

ODE IIII.

Non titulo Chriſtiani fidendum.

TE turba Chriſti nomen excelſum gerens,
Nomẽ inane caue, tumensq́ fallat uani-
Haud eſt beatus externo unicum (tas.
Qui gerit ore deum, nec oſculatur pectore,
Simul renato. Ac dulce quanquam Eccleſiæ
Debeat eſſe pijs nomen, ſinusq́ amabilis,
Eiusq́ uerè ſint colenda dogmata,
Innumeri tamen, hæc quos fouit externo ſinu,
Fundent perennes lachrymas, ac dentibus
Vſq́ frement rabidis contra ſeuerũ iudicem.
Sic pinxit heros ipſe toto Eccleſiam
Diſpoſitam orbe ſuam ſub nuptiarum nomine:
Tandemq́ patrem narrat ingreſſum domum
Lumine ſubrigido ſpectaſſe conuiuas ſuos,
Vidiſſeq́ illic nuptiali ſordidum
Veſte carere aliquem, dixiſſeq́ ira feruidum:
Impunè te ne nuptias miſerrime
Commaculare putas noſtras amictu non nouo?
An ergo amicorum frueris gaudijs, (greſſus es?
Quod mea tecta latens, meq́ haud ſciente in-
Huc huc miniſtri, adeſte, uinctumq́ improbum
Ocyus inijcite caliginoſo carceri,

Ibiq́

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Ibiq́ ploret ſemper, & fruſtra gemat.
  Sic quoq; uirginibus res ceßit imprudentibus,
Quæ dum lucernis inſoleſcunt ſplendidis,
  Sumere ſecum oleum in uaſe picto negligunt.
Vnde excitatis, obuiamq́ euntibus
  Sponſo, abit ignis eis, clauſamq́ nequicquã ſibi
Poſcunt recludi ianuam. Sed obſecro
  Quid ſibi uult oleum, & nuptialis hæc toga?
Sunt illa cœlo miſſa lux fidelium,
  Pectora quæ recreat, nouatq́ ſancto ſpiritu,
Sic ut lubenti corde Chriſto ſeruiant,
  Seq́ ſuiq́ mala conſulta cordis abnegent.
Hanc mente qui non anxia lucem bibit,
  Non miſer ille Dei manſurus intrat nuptias,
Nec Chriſtianum nomen illi proderit,
  Gutture nec toties iactata mendaci fides.
At quum procellæ more ſontes obruet
  Illa tremenda dies, qua nuda iuſto iudici
Proles Adami ſiſtet omnis, nec ſuam
  Dein quis ei folijs quibit caducis horridam
Celare crudi nuditatem pectoris,
  Atraq́ flagitia: ſed ferre cogetur Dei
Legem ſeueram, mente conſternabitur
  Tum trepidante miſer, productus irato Deo,
Concuſſa tanquam turris igni bellico:
  Tum ſimulata diu frangetur illius fides,

Ad

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Ad motaq; igni ceu uoraci mollior
Cera, ſoluta fluet, fumiq; uaneſcet modo,
Extraq; Chriſtum conſtitutum, ac illius
Eſſe patrocinio ſe deſtitutum ſentiet,
Et eſſe hypocritam, eſſe membrum mortuum,
Atq; foris tumulũ quod ſplendet, intus fœtidũ.
Tum ſerò multum uoce planget lugubri,
Fundet & aſsiduè non profuturas lachrymas,
Stantes capillos uellicans ac uerberans
Pectus inane, ſibi iuſtoq; ſuccenſens Deo:
Tamen, obſerato lucidi cœli oſtio,
Perpetuis tenebris cogetur immarceſcere.
Tu uirgo prudens ergo cura ut exuas
Hic hominem ueterem, legiq; pugnantes Dei
Ne corde regnent in tuo affectus, at ſpiritum
Corde timente bibe Chriſti renaſcens deſuper,
Carniq; deinceps reprobæ ceu mortuus,
Viuere quære Deo, eiusq; iuſſa perfice.
Maiora ſi (nam non repugno) dixeris
Viribus iſta tuis, nec poſſe tete proprijs
Plenè aſſequi conatibus, fac ſedula
Mente precére Deum, nondũ his in exorabilẽ:
Immò paratum, quotquot ipſum ſpiritu
Paupere continuè, tritoq; quærunt pectore.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE V.

Contra ſecuros.

QVid ſtulte rides? quid'ue animo leui
Tollis cachinnos? unde iocus tibi
Securus? unde eſt ſermo uanus,
Omnia ceu bona ſint parata.
Inſtare neſcis horribilem diem,
Quo Chriſtus altæ ſceptriger iridi
Rex inſidebit, flammeoq́;
Terruerit rea corda uultu?
Tum quicquid unquam membra per extera,
Et ore quicquid turpiter egimus,
Et ſæpe uerbis ocioſis,
Vel tacito quoq; cogitatu:
Pandetur illi, legeq́; ferrea
Adiudicatos ignibus inferis
Ardente conſternabit ira,
Aq́; ſua facie repellet.
Nam cuiq; factis conuenientia
Suis rependet præmia deſuper,
Turbæ renatæ credulorum
Fauſta dabit ſua regna gratis.
Horrenda uerò tartara reprobis,
Legis uel unam particulam grauis
Præuaricatis: tum dolebunt
Serò nimis, lachrymasq́; fundent

Haud

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Haud abluendas oribus impijs,
Quærentq́; fruſtra montibus occuli
Celſis, & euaſiſſe iuſti
Vindicis horribilem furorem.
Vos, blanda quotquot gratia numinis
Oblectat, ipſum quærite dum propè eſt.
Dumq́; acquieſcit, profuturas
Fundite iam lachrymas, precesq́;.
Ridere, ſignum pectoris impij eſt,
Et negligentis iudicium Dei,
Altumq́; ſecurè ruentis
In barathri puteum patentis.
Hinc & grauatum crimine non ſuo
Riſiſſe nunquam Lentulus indicat
Chriſtum redemptorem piorum,
Sæpius at lachrymare uiſum.
Geſſiſſeq́; omni tempore dicitur
Manu beata Petrus apoſtolus
Sudarium, illoq́; abluiſſe
Tabifluo lachrymas ab ore.
Si dixeritis uos nitidos fide,
Nec iudicandos lege: recondite
Hæc mente ueſtra dicta, Chriſtum
Non niſi pauperibus nitere,
Læſisq́; corda, ac triſtibus: haud ijs,
Secura quorum pectora cum grege

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Rident prophano, quin dolorem
Chriſtus eis minitatur atrum:
Væ triſte lætis omnibus intonans,
Et corde ſecuro hanc peragentibus
Vitam, quia inſanam perennes
Læticiam lachrymæ ſequentur.
Contrà beati, lætitiaq;, ait,
Mox haud caduca, ſuauè fruemini,
Quicunq; ueſtri nunc uidentes
Ingenij mala dira fletis.
Gens chara Chriſti iam reſipiſcite,
Securitatem & ponite noxiam,
Riſumq; dementem, iocoſq;,
Omnigenam quoq; uanitatem.
Quin, labe ueſtra protinus agnita,
Sontesq; preſſura exitio die
Squalete ceu ſacco, reumq;
Pulueribus caput inquinate.
Fuluumq; morti corpore debito
Deponite aurum, cunctaq; quæ decent
Ornata lætos, ambulate
Vos humiles tacito prementes
In corde luctum, quò miſeratio
Diuina uobis obuia luceat
Veraciter iam. namq; mœſta
Corda Deus recreare gaudet:

Verùm

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Verùm ſuperbo ſtat procul à grege,
Cunctosq́; furtim pectora qui gerunt
Secura, ſat per ſe beatos
Deſerit, ac renuit iuuare.

ODE VI.

Nõ de Chriſto, ſed nobis ipſis dolendũ.

SEruatore ſuam cum gemitu crucem
Ducente ad putridum ſupplicij locum,
Plangunt pectora ciues,
Matronæq́; Ieruſalem.
At conuerſus eas uoce monet graui:
Ne me turrigeræ natæ Ieruſalem
Tanto flete dolore,
Nec uobis ego lugear.
Nam clades breuis eſt hæc mea, nec diu
Durabit: ſiquidem nil uitij meam
Vitam deprimet orco.
Arbor quippe uirens ego,
Qui fructum aſsiduò reddo patri bonum,
Et miris placeo charus ei modis:
Vnde & ſidera uictor,
Victa mox repetam nece.
Sed uoſmet querula plangite nænia,
Voſmet flete, die nocteq́; conſciæ
Vobis criminis atri,
Quod iuſtus prohibet Deus:

Vlturumq́;

Vlturumq́; canit uindice ſe manu.
Verax en Deus eſt, iuſtus item: horridam
An' non ergo ſeuerus
Pœnam ſontibus inferet?
Vt quondam Sodomam ſulphure, & igne
(Exemplum ſtatuens iudicij ſui,
Iuſtæq́; omnibus iræ,
Seclis) fulmine punijt?
Vos tanquam ſteriles uiuitis arbores,
Nec fructum Domino fertis amabilem:
Sed ſanctam eius iniquo
Legem pectore ſpernitis.
Quæ quantæq́; igitur uos maneant cruces
Damnandos meritò, quando ego non meo
Preſſus crimine tantis
Inſons obijciar malis?
Sic omnes quoq; quos flagitio & minis
Leti æterna manent gaudia liberos,
Cogit mille libenter
Aerumnas pater aggredi,
Tantum ob relliquias, quas tamen obſtruunt
Peccati exiguas: ergo quid obſecro
Vobis fiet auerni
Semper iuſſa ſequentibus?
Vobis obueniet terribilis dies,
Quum uerſo ſterileis ore uocabitis

Fauſtas quòd pepererunt
Nullos exitio graui
Natos. tum pauidi montibus arduis,
Et paruis etiam collibus inquient:
Vlciſcentis ab ira
Nos abſcondite iudicis
Illapſi, & penitus (cur fieri nequit?)
Sonteis in nihilum uertite, ne reo
Tantum corde furorem
Semper ſenſerimus Dei.
Vos nunc ueſtra cati flete piacula,
Dum placatur adhuc, & pauidis Deus
Eſt uicinus, & omneis
Exaudit ſibi ſupplices.

ODE VII.

Exultatio fidelis animi.

O *Quàm uera beatitas,*
Te nos poſſe Deus fidere, conſcium
Cor pungentibus omnibus
Exemptos uitijs, & maculis ijs
Quas noſtrum arbitrium quoq;,
Sanorumq́; animis omnibus indita,
Nec ſublata ſemel patris
Lapſu, arcere poteſt illa potentia?
Non iam corda dolor mea,
Non iam terror habet, ſed tibi libero

Fido

Fido pectore rex meus:
Quanquam haud ſatfaciant acta tibi mea,
Immò fœtidus horream
Internis animi ſordibus, ac tuo
Coram lumine ſæpius
Atro digna patrem crimina tartaro:
Non hinc pergo minus tamen
Certam iuſticiæ ponere ſpem tuæ.
Seruator meus unice,
Tu mortale Deus commiſerans genus
Alto laberis æthere,
Miſcerisq́ hominum cladibus, & crucis
Execrabilis inſuper
Morti, noſtra luens horrida crimina:
Nobis ultro tuam quoq;
Donas iuſticiam, nosq́ patri tuo
Valde ſiſtis amabiles
Iam, purosq́ uelut ſordibus omnibus,
Nempe ô lucide ſol tuis
Luſtratos radijs. ergo uelut glob us
In ſe luna niger ſuo
Fraterna excipiens lumina corpore,
Candorem ipſa quoq; induit,
Et pulchra facie mitigat horridam
Noctem: nos quoq; ſic tuos
Induti radios Chriſte pijßime

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Noſtris amplius haud ſumus
Damnandi uitijs. at nece liberi,
Per patrocinium tuum
Speramus nitidi lætitiam poli.
Quin & nunc aliquo modo
Prægustamus eam, dum quaſi cernimus
Humanum genus ob ſua
Mergendum Stygijs crimina fluctibus:
At ſolis ueniam à tuo
Nobis Chriſte dari, ſupplice te, patre.
Vnde ingens tua ſiditas
Eſt cantanda mihi ſecla per omnia.

ODE VIII.

De dignitate miniſtrorum uerbi.

QVàm figunt ſpecioſa ſuis ueſtigia plant
Lætũ ferentes nuncium, grataq́; pau-
Mentibus internæ cœleſtia gaudia pacis (peribus
Verbi miniſtri, qui piè dogmata uera docent?
Aiuntq́; ô ſacra turba Deo, tuus ecce redemptor
Conſidit excelſo throno, imperioq́; potens
Aeterno nitidi ſibi ſubdidit omnia mundi,
Nec uiribus quicquã ipſius difficile eſſe poteſt?
Vnde ſuo ſolio cum deturbare ſuperbos
Suum recuſantes iugum cõmodũ, onusq́; leue,
Tum iuſtis, durasq́; ſuo pro nomine paſsis
Cladeis alacri pectore ferre ualebit opem.

Vtrumq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Vtrumq; eius opus, reprobos punire Cyclopas,
Atq; exhibere mitibus præmia gratuita,
Robuſtaq́; ipſos dextra releuare, tametſi
Calcati in immundo diu ceu iacuere luto.
Hi ſunt angelicus quondã chorus æthere miſſus,
Vt nocte mœſtis fratribus gaudia læta ferens,
Diceret: heus animo iuuenes remouete pauorem,
Curamq́;: uobis utpote gaudia magna fero,
Gaudia credentum toti communia turbæ:
Vobis redẽptor nã Deus, nũc homo natus, adeſt,
Qui rigido pauidis coram patre labe ſoluta,
Certam impetrabit gratiã, iuſticiamq́; ſuam.
Hi quoq; iudicium, Domino properante ſeuerum
Minace ſecuris canunt uoce, uelutq́; tubæ
Terribili clangore iterum ſub luminis auras
Extincta corda prouocãt, nec tacito in tumulo
Semper humata ſinunt fatali ſtertere ſomno,
Sed ad tribunal iudicis ocyus ire iubent,
Vinculaq́; æternæ tolerare adamantina legis,
Et non ſiniſtro cœtui uerba ferenda Dei.
Tum iuſti, queis uiua fides in pectore lucet,
Et mente quotquot integra nocte dieq́; ſui
Obſeruare Dei non irrita iuſſa laborant,
Mollita chari debito corda timore patris
Afflati, ſurgent alacres, animoq́; timorem
Seruilem abarcebunt ſuo. Spiritu at æthereo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Perfuſi, tutorem illum, patremq́ uocabunt,
Et obuiantes iudici carmina læta canent.
Fex autem ſecura hominum, quam turgida tollit
Mendacis oris uanitas, quæ neq́ corde pio
Chriſti implet mandata, diu contemnere quãquã
Labore ſudet impio iudicium Domini,
Obueniente die tamen atræ mortis iiſdem
Verbis miniſtri, tum ſibi inſuperabilibus,
Obruta perpetuum potabit corde pauorem (mas.
Sonti, nec unquã deſinet fundere dein lachry-

ODE IX.

Ad quos pertineat Euangelium.

PRocul prophani pollicitis Dei
Abeſte, quotquot non reſipiſcitis,
Latamq́ ſecuro terentes
Corde uiam, properatis orco.
Non læta uobis carmina perſonant
Apoſtolorum uoce celebria,
Nec lucta Chriſti, nec triumphus
Veſtra poteſt recreare corda.
Nam propriæ ſat uos recreant opes,
Nec indigentes eſſe manentium
Cæci bonorum uos uidetis,
Nec meritum ſitiente corde
Chriſti flagratis. ceu ſaturum cibus,
Atq́ unda ridens haud mouet ebrium,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Nec ſanitatem ſentienti
Docta ſolet medicina poſci.
Sed cæca ſi qui paupere & indigo,
Mœſtoq; tacti uulnera pectore
Sentitis, horretisq; crimen
Triſte procul fugere hinc ſtudentes:
Adeſte Chriſti uos pia carmina
Fideli hiantes mente recondite:
Mutumq; ponentes dolorem,
Corde Deum celebrate læto.
Nil ecce uobis obſtat: id omne enim
Quod lege uiſa territat, abſtulit
Gratis redemptor: patris iram,
Vim necis, & ſcelus omne, Chriſtus.
Quin uera ſolis gaudia conuenit
Fulgere uobis: ne ſpe quibus minax
Lex & pauorem, & uix ferendam
Triſticiam ob malefacta miſcet.
Nam Chriſtus iſtos blanditer allicit:
Quicunq; culpam plangitis, & grauem
Sentitis iram, me me adite:
Vos equidem recreabo laſſos.
Huc nam ſuo unctum ſpiritu, ab æthere
Me miſit alto, pauperibus, pater,
Euangelizare, & mederi
Mentibus à truce uulneratis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Angui:utq; uinctis libera pectora,
Nigroq; clauſis carcere nunciem
Exire poſſe: annumq; adeſſe,
Quo Deus horribilem benignus
Deponet iram. Sic alibi quoq;:
Quem lenis, inquit, reſpiciam, niſi
Pauperculum, afflictoq; tritum
Pectore, quem mea uerba terrent?
Cantantur hæc & pſalmographi lyra:
Propinquus, inquit, cunctipotens ijs
Qui pectus occultant amarum:
Idem animos humiles beabit.
Quippe hoc ſupremus geſta modò ſua
Rex adminiſtrat, durus ut antea
Occidat, & mergat barathro,
Et premat hos, opibusq; nudet,
Quos mox alacreis uiuificauerit,
Et liberabit cladibus omnibus,
Mireq; dites exhibebit,
Muneribusq; ſuis onuſtos.
Sic Hanna, nuper mœſta dein canit.
Sic multa paſſus, uenditus ethnicis,
Et crura uinctus, tandem & altum
Principis ad ſolium uocatus,
Stupens Ioſeph mirificam Dei
Dextram fauentis. Sic Mariam quoq;

Dum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Dum ſpreta mundo, mater almo
Deligitur celebranda Chriſto.
Beatus ergo triſte cor obtinens,
Nam regnum ad unum pertinet hunc Dei:
Huic lætus uni prædicatur
Nuncius, eſſe Deum benignum.

ODE X.

Querela de raritate Chriſtianorum.

HVc huc citharam ferte mihi puer,
Miſerum plangam mortale genus:
Nam iam penitus uano liquit
Pectore Chriſtum.
Tu uerba quidem æterne Deus
Manſura tua, ualde placidus,
Nobis alto mittis ab axe,
Dasq́ fauorem nouiſſe tuum
Chriſti meritis impetratum,
Deq́ illo alijs nos poſſe loqui.
Das mirandam cognitionem:
Sed poſteritas triſtis Adami
Fermè hæc labijs fucatoq́
Suſcipit ore: at uanis linquit
Pectora rebus, mundi & curis
Hæret amaris, carnemq́ ſinit
Regnare ſibi, illiq́ lubens
Morigeratur.

Heu non meditans taleis omnes
A ſublimi æternæ exules
Procul arcendos limine uitæ.
Verum iam uel diſcite Paulo
Quæſo docente: Non habiturum
Grata perennis gaudia uitæ,
Quiſquis carni læuus obedit,
Nutritq́ uagas pectore flammas,
Colit idola: quiq́ nociuas
Miſcet gnarus fratribus herbas:
Et qui rixas paſcit, & odia,
Iramq́ grauem & inuidiam: & qui
Seditionem, ſectamq́ facit,
Cædem'ue trucem: & qui ſe dat
Ebrietati, uitæq́ leui:
Quanquam labijs atq́ ore ſonet
Dogmata pura, ſeſe & Chriſto
Fidere clamet:
Haud profuerit ſecuro animo
Praua ſequenti.
Nam iudex Deus inſpicit ima
Corda ſeuerus, illoq́ opera
Fonte ſcatentia, putriaq́ arbores
Tollit uindex poma ferentes,
O quot nunc malos referunt fructus,
Licet exculti iam poſtremum

Læta

Lata Chriſti uoce benigni
Vera didicerint dogmata cuncta:
Certè bona pars putribus carnis
Fructibus horret, mundumq́ ſapit,
Fluxaq́ cæco pectore quærit.
Vbi nunc radiat fraternus amor?
Vbi conſpicitur nunc reuerentia,
Sanctusq́ timor numinis almi,
Senſusq́ humilis, atq́ modeſtia,
Tumidiq́ fuga debita mundi?
Deniq́ an uſquam noua uita liquet
Veraq́ mentis, & triſtifica
Reſipiſcentia? dum tamen arborum
Ad radices eſt poſita minax,
Atq́ horribilis illa bipennis
Vindicta Dei, ut quicunq́
Nullos fructus ediderit bonos
Putris, exciſus nutriat ignem,
Ignem impoſito parcere neſcium.
Illic iuges ibunt lachrymæ
Tum ſerò nimis, iratiq́
Iudicio Dei, ipſisq́ ſibi,
Sine fine ſuis infrendebunt
Miſerè dentibus. nunc nunc cæci
Flete in tempore, nunc iniecto
Fœdate caput puluere ueſtrum,

Saccum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Saccum induite, ſintq́ hæc uilia
Fluxi uobis omnia mundi.
Nunc & ueſtris iraſcimini
Cauti nondum ſerò piaclis.
Nec iuſto amplius differte dehinc
Parêre Deo, ſicq́ patronum
Quærite Chriſtum.
Ille quidem pius extendit ſua
Brachia latè, nosq́ inuitat
Preſſos uitijs carmine dulci:
Ocyus ad me huc properate,
Si quibus angunt tabida mœſta
Pectora curæ, ſæuaq́ crimina,
Gratis uos ego culpa & pœnis
Exonerabo.
Cur perituri eſtis miſeri,
Quando charis impetrarim
Largè ſudans omnia uobis,
Veniam, gratiam, patris amorem,
Et manſuræ munera uitæ,
Niſi quòd ſtulti me ſepoſito
Vana ſequimini, nec ceßatis
Carni reprobæ morigerari.
Hinc mox uobis adero iudex
Intolerabilis, & cuncta meo
Siſtam uultui crimina ueſtra,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Illaq; pœnis puniam atrocibus.
Tunc petrarum rea quæretis
Occultare membra cauerno
Fruſtra, rectà ſiquidem æternum
Mea ſententia coget in ignem.
Sed clemens Deus, uinea quem tua
Iam cultorem, ueraq; dogmata
Reſtituentem denuò ſentit,
Radices tuo pingue facias
Obſecro fimo, cordaq; ſpiritu
Arida tangens noſtra noues tuo.
Saltemq; aliqui de populo tuo
Te cognoſcant, & tibi ſeruiant,
Et potiantur grata beati
Non perituræ gaudia uitæ.

ODE XI. Stroph.1.col.9.

De beneficio Chriſti.

PIndarico modulare carmine
Summi patris unigenam
O turba Deo ſacra mecum filium:
Nam iuſtus ubi Deus omne
Vltor humanum ſua iuſſa genus
Præuaricatum,
Legis ad præſcripta duræ
Perpetuas dare pœnas & necem
Perpeti mandauit abiectos perennem:

An

Antiſt. col. 9.

Gnatus adeſt, ueniamq́ flagitat
Nobis, rigidoq́ patri
Se uelle ſatis facere, & pro ſontibus
Perſoluere ſufficientem,
Victus erga nos pietate graui,
Pœnam recepit:
Atq́ nobis mitigauit
Hac pietate parentem, qui ſibi
Exin acceptos fore omneis iurat un .

Epod. col. 9.

Quotquot ipſo ſpem locarint,
Laurigeramq́ fidem
Abditam ſecuri oculis gregis,
Soliſq́ nouis mentibus
Propriam, & effugienti
Acribus omne ſcelus pro uiribus:
His tua fide laborant Chriſte labra,
Reſtituuntq́ patris
Gratiam iuſti quidem, at per te benigni.

Stroph. 2. col. 9.

Sed neq́ re tibi conſtant ludicra
Suſcepta patrocinia:
Quin ſidera pulchra ſtatuto tempore,
Ne lex foret irrita, linquis,
Corq́ ſancto ſpiritu inunctus ades,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Lætumq́ preſsis
Nuncium fers, triſtibusq́
Mentibus, atq; oneratis crimine,
Saucijsq́ addis medelam cordibus.

Antiſt.col.9

Quin etiam pie ſeruator necem,
Quo nos necis eriperes
Vinclis, hilaresq́ parenti adduceres,
Culpæ licet inſcius omnis
Ipſe fido pectore Chriſte ſubis:
Fuſoq́ mundas
Nos tuo, & potas cruore,
Aridaq́ à fame triſti pectora
Carne, ut aſſata bene ereptas, tuapte.

Epod.col.9.

Hinc piaclis liberamur
Omnibus, ipſe ſimul
Chriſtus almi progenies patris
Pœnam nece ſoluit ſua:
Sed procul alto ab Olympo
Culpa ſoluta licet ſit, ſiſtimus,
Dum neq; Chriſtus ab inferno eſt reuerſus,
Nec necis imperio
Lucet euerſo ſuis uictorioſus.

Stroph.3.col.9.

Rupto igitur tumulo prodit foras,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Terretq; atheos uigiles:
Verùm Petro, apoſtolicis & fratribus
Terget lachrymantibus ora:
Mox & altum uictor adit polum,
Nobis futurus
Tutor illic, & patronus.
Tum pauidis quoq; ſanctum ſpiritum
Lucidus mirante toto mittit orbe.

Antiſt. col. 9.

Scilicet ut tua rex mira omnia
Ductu illius acciperent,
Et plaſma nouum fierent gratum tibi,
Vereq; tua omnia ſeruans
Iuſſa: ſic certa es mihi tu ſalus,
Dum te redemptor
Mente complector fideli,
Numine corda noua imbutus tuo:
Sic mihi per te remiſſum eſt omne crimen.

Epod. col. 9.

Iugiter te concinemus
Carmine Chriſte pio,
Te redemptor chare fidelium,
Te certa ſalus pauentium:
Tu modò fide patrone,
Nos tibi ſanguine perditos,
Et propria quoq; uita reſtitutos,

Lumine

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Lumine ſidereo
Motus exorna, & fide uiua regigne.

ODE XII.

Ad Polymniam, de accedendo præceptori Philippo Mel. eiq; gratulando reditu.

CLarum lumen adi doctiloqui uiri
Tu præſente animo ſacra Polymnia,
Prægrandeisq; poetæ
Parteis exequutor tui.
Me formido tenet noxia, me uetant
Et ſenſus humiles magnificûm arduis,
Perplexo abſq; rubore,
Coram luminibus loqui.
Tu terrore uacas, frontis es æneæ:
Quin & nota tibi limina quæ petes,
Et calcata beatis
Nuper ſunt pedibus tuis.
Quare tute humili cœlitus additum
Vati dulce decus tutius, i mei
Præceptoris ad ædeis,
Et fauſtum pia gratules
Ad mœſtos reditum diſcipulos ei,
Eiusq; æthereum carminibus ducem
Gratis aurea ſupra
Chriſtum ſidera tranſferas.

Quòd nos haud inopes deſerat orphanos,
Nec rectore ſacram deſtituat pio
Cymbam, fluctibus altum
Dum tantis mare perfurit.
Quid non illa tumens eruta carcere,
Confractisq́; uelut libera uinculis
Auſit turba ueneni
Commiſcere fidelibus,
Iam fraudi expoſitis? Hinc meritas modò
Turbati lachrymas ſudimus illius
De morbo, exanimante
Nos rumore ſatanico.
Sed noſtros gemitus tu Deus, & preces
Audiſti placidis auribus, ac tuo
Rectorem atq; parentem
Saluum reſtituis gregi.
Grateis ergo tibi ſoluere debitas
Nitemur ſimul, & ſupplice te pater
Semper corde precari:
Illum Chriſtigenis diu
Serues incolumem, ſpiritum item tuum
Infundas animo largiter illius,
Vt nec ſorte ſecunda
Seſe lubricus efferat,
Cedatq́; inſidijs tartarei lupi:
Nec lucis radios quando tuæ pia

Mente haurire, tuiſq;
Iuſsis deſinat obſequi.

ODE XIII.

De piorum ærumnis, & mundi impunitate.

CVr Iohannes facilè inter omnes
Maximus partus muliebris alui,
In tenebroſo lachrymans, gemensq;
Carcere ſquallet?
Dum mali expertem tumidus tyrannus
Degit Herodes, hilaremq; uitam,
Coniugem quanquam ſibi non ueretur
Iungere fratris?
Attamen ſecurus agit, diemq;
(Proſperam ſortem ſibi gratulatus)
Annuum, qui primus ei creato
Fulſerat, ornat.
Cingitur cœtu procerum obſequentum,
Et premit curas tetricas lyæo,
Muſico cantu quoq;, uirginumq;
Ritè choræis.
Interim iuſtus perit ille tanquam
Per iocum, regiq; uelut ſupremo
Aut minus notus, minus aut uidenti
Charus eidem.
Atqui in arenti mala ſemper agro

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Arcuit ſancta catus acta mente,
Et pio oſtendit pauidis propenſum
Indice Chriſtum.
An Deus non eſt moderator orbis?
An ſuos preſſos nequit eruiſſe
Vi tyrannorum: reprobosq́; forti
Sternere dextra?
Sed neq; hic ſanctos cruce macerari
Dedecet fluxa, ſua quò dolere
Facta compulſi mala corde uero
Quærere pergant.
Gratiam Chriſti quia nec fideles
Legis obſeruant ſacra iuſſa plenè,
Nec queunt omni ſine ſorde prorſus
Viuere iuſti.
Hinc ferant pœnam decet: at prophana
Turba, ſecura Domino repugnans
Mente, iam præſens licet abſq; luctu
Tranſigat æuum,
Non tamen fœlix erit ergo ſemper,
Sed die erumpet pauor eius uno:
Tunc eam nullo Deus auferendis
Tempore plagis
Obruet, fruſtra dein eiulabunt
Perpetim. contrà pia gens refecta,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Concinet ſemper memori benignum
Voce patronum.

ODE XIIII.

Cur Chriſtus dicat, fidem fore poſtremo tempore raram.

CVr haud futuri temporis inſcius
Chriſtus, beantem defore tum fidem,
Cum iudicaturus redibit
Omne hominum genus, arbitratur?
Inſtante quum iam luce nouiſsima,
Doctrina paſsim ſana reuixerit,
Valdeq́; rurſus clara uaſtum
Lux fidei niteat per orbem?
Regnum Antichriſti concidat ut quidem
Apparet, & iam rarus inanibus
Dijs fidat: at Chriſtum, fidemq́;
Vnanimi propè uoce iactent?
Mentem'ne cuiuſquam effugiat fides,
Dum legit eiuſdem ora ſibi domum?
Seſeq́; de ipſa glorianti
Difficilem queat exhibere?
Sanè fides eſt nympha tenerrima,
Quauisq́; culpa læſa fugit ſtatim:
Non illa fœda ſede gaudet,
Non animo manet in maligno.
Quicunq; carnem conſequitur ducem

Scortator, iram'ue, inuidiam'ue alens,
Potans'ue, ſecuroq́ uiuens
Corde, citra Domini timorem:
De ueritatis dogmatibus licet
Præclara docto gutture diſputet,
Certamq́ Chriſto ſpem locatam
Impauida ſibi uoce clamet:
Arcana nunquam lucet ei fides,
At eſt hypocrita, eſt atheus, toga
Et deſtitutus nuptiali,
Eſtq́ uacans oleo lucerna,
Fundata arenis & domus, & cadet
Mox flante Cauro: legeq́ uim ſuam
Pandente, tum Chriſto, fideq́
Se procul eſſe miſer uidebit.
Pleriq́ ſic nunc ore gerunt fidem,
Sed mente carni, heu, morigeri ſtudent,
Mundumq́ ſectantur prophanum,
Turpia nec ſua flent piacla:
Nec uerè eorum conſtituunt fugam,
Nec ſunt renati, nec placiti Deo:
Hinc infrequentem, triſte, clamas
Chriſte fidem fore, quum redibis.
Vero pauentes pectore nos Deum
Quæramus, illumq́ aßidua prece,
Culpa ſolutos, flagitemus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Vi placidus recreet ſuperna.

ODE XV.

Eccleſia eſt exemplum Lazari mendici.

AD ueſtrum proceres Lazarus oſtium
Tetris ulceribus plenus, & indigens,
Veſtrumq́ auxilium, turba uidelicet,
Orans Chriſtigenûm iacet.
Vos rex omnipotens muneribus ſuis
Ornauit rigida lege, potentia,
Et coram populo magnificentia,
Et terrore rebellium.
Tutores poſuit uos Deus orphanis,
Ditauitq́ opibus, munera quò ſua
Iuſtorum in populum cura ſit indigum
Grato effundere pectore.
Id ſi morigeri feceritis Deo
Lucens perpetuò ſpiritus illius
Denſis uos tenebris, & ſcelerum nigro
Ducet carcere liberos,
Ad ſudantis equos Phœbi, & amabiles
Vultus Pleiadum: ſin animo truci
Delectum Domino ſpreueritis gregem,
Nec donabitis indigum
Vobis auxilio difficili nimis,
Peruerſo proprijs pectore commodis
Intenti modò, tunc obueniet Dei

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Vobis horribilis furor.
Eius turba quidem, ſit licet indiga,
Et neglecta ſerè principibus uiris,
Non omnino tamen mortua concidet
Auroram ante nouiſsimam.
Semper pauci humiles, ac ueluti canes
Illi ſubuenient, hulceraq́ illius
Lingent: aſt hilaris luce nouiſsima
Abrahæ canet in ſinu.
Sed quicunq; graues pauperibus Dei,
Quod præſtare queunt, ſubſidium negant,
Flammis poſt obitum tartareis dati
Fruſtra perpetuum gement.
Tum ſerò ſapient, & cupient ſuos
Horum præmonitos. cur igitur minus
Nunc ipſi moniti uos reſipiſcitis,
Et ſeruitis egentibus?
Si teſtis placet is, qui redit inferis:
Chriſtus, qui docet hæc, mortuus en fuit,
Atq; eſt ipſa ſimul fulgida ueritas,
Ac patris ſapientia.
Quare ſi ſapitis, credite nunc ei,
Nunc ſæuos moniti ponite ſpiritus,
Et parete Deo, donaq́ cœlica
Impartite fidelibus.

ODE

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE XVI.

Chriſtianos aliis uita præ-lucere debere.

IVre quidem arguitis Phariſæos atq́ Papiſtas,
Et quotquot actis applicant fiduciam:
Ridetisq́, ubi difficileis ad ſidera calleis
Chriſto feroces abſq́ patrono terunt.
Sed malè colligitis, iam non opus eſſe ſolutis
Labore uobis aſtra tanto quærere.
Non ideo Chriſtus gentes à lege redemit,
Securitatem quo fouerent noxiam.
Immò ſic certo cano uobis pectore uates:
Ni uita ueſtra luxerit perfectior,
Ac opera extiterint, quã ſunt Phariſaica, uobis
Exactiora, quamq́ ſunt monaſtica,
Nunquam ſideream læti uenietis ad aulam,
Nunquam fauore numinis fruemini:
Verùm cum monachis, Phariſæorumq́ caterua
Cæca gemetis in barathro iugiter.
Illi externa quidem decorant ciuiliter acta,
Scelusq́ cautis omne uitant artubus:
At cor interea manet illis crimine cæco
Contaminatum, & reſpuunt furtim Deum.
Lugubre cor odium fouet, inuidiamq́ malignam,
Atq́ ardet atra ſæpe bile in proximum.
Deniq́ mens illis manet impia, nec ſua deflent

Peccata uerè, nec Deum læti canunt.
Sed quicunq; magis fauſto pede quæritis axem,
Perfectiora ſacra ſublimi Deo
Vos offerre decet: neq; enim ſacra corporis illi,
Geſtus'ue poſſunt adplacere mimici,
Eius hypocritici nec paſcunt lumina motus:
Quin mens neceſſe eſt pura uobis luceat,
Mens uobis mutanda, nouum cor fiat oportet,
Sanctoq́; flatu recreetur cœlitùs.
Inſita naturæ uitiorum ſemina uerè
Ploretis, & coram ſeuero iudice
Triſtes, ac humiles, mœrenteq́; pectore ſtetis
Rurſusq́; ueſtro pro reatu mortuum
Diſcentes Chriſtum, ſurgatis corda refecti,
Mœrore pulſo, cum timore noxio,
Et ſuadente fide placidum cantate patronum,
Eiusq́; nomen inuocate liberè,
Fratribus ex animo ſemper bona cuncta precãtes,
Mitiq́; & hoſtes adiuuantes dextera:
Sic demum uobis cœleſtia regna patebunt,
Sic certa Chriſto copulabit uos fides.

ODE XVII.

De ſacroſancta Trinitate.

AScende celſum Calliope polum, &
Fonti bonorum dic, memor, omnium
Hymnum beatæ Trinitati, &

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Dulce Deo modulare uero
Patri, Logoq́ & Spiritui ſacro.
Perſona nullo prima ſata eſt pater
Aeternus, æternamq́ ſeſe
Progenuit ſobolem intuendo,
Viuam paternæ mentis imaginem,
Et lucis. Ingens hinc amor à patre
Promanat in gnatum, piaq́
Mutuus à ſobole in parentem.
Perſona dictus tertia Spiritus
Patriſq́, natiq;. ipſe Deus quoq;
Aeternus, immenſiſq́ pollens
Viribus eſt, opifexq́ rerum
Cum patre, natoq́. Hæ Deus unicus
Tres ecce perſonæ, author amabilis
Mundi, atq; noſter ſunt: creator
Vnicus at Logus eſt redemptor.
Nam patre mittente, ipſe hominem uolens
Aſſumpſit, eiuſq́, impoſitus cruci,
Soluit reatum, & dura carne
Fata Deo ſubijt quieto.
Sed tertia mox denuò prodidit
Se luce uis uerbi inſuperabilis.
Nam morte uicta ſe excitauit,
Et repetijt ſua uiuus aſtra.
Altamq́ noſtris lucidus artubus

Dex-

Dextram occupauit patris, & omnia
Per ſecla noſter frater illic
Regnat, agitq́ hominis patronum.
Inde & paterno corda pauentium,
Suoq́ flatu ſanctifico nouat:
Mitemq́ uultum pandit illis,
Atq; ſibi famulare ſuadet.
Diſtincta cuiuis munia ſubijcit
Scriptura perſonæ: exhibitor pater,
Miſſorq́ nati, perq́ natum
Perpetuæ dator eſt ſalutis:
Sed Chriſtus ille eſt, cuius eam pater
Placatus ergò donat, & hanc ſciunt
Luſtrata ſancto corda flatu
Et capere, & retinere ſola.
Tu ternum & unum numen, age ô tuam
Quem condidiſti uerbo ad imaginem,
Verbo & uagantem quæſijſti,
Pneumate me recrea potente.

ODE XVIII.

De Abele protomartyre.

CVr tanta obſecro liuide
Contra Chriſtigenas ira tua eſt draco?
Quare perſequeris furens
Fruſtra, quos Domini fida tegit manus?
Ereptos'ne tuis eos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Aegrè fers patulis impie faucibus
Hoſtis? Non tamen opprimes
Rurſum, quos Domini fida tegit manus.
Ergo dum puer innocens
Fraterna cecidit, te duce, dextera,
Inanemq́ tuam bibit
Iram iuſtus Abel, non periјt ſemel:
Immò fulſit ei dehinc
Aeternum decus, & uera beatitas:
Victorq́ è nece prodiјt,
Quando fida Dei texit eum manus.
Ipſe & numinis hauſerat
Imo uiuificum pectore ſpiritum,
Sic ut crimina conſcius
Defleret ſua, nec deſineret preces
Vnquam, pro uenia Deo
Mente offerre graui, cordeq́ tabido,
Spernens putida gaudia,
Demiſſos Domini uoluier ad pedes:
Promiſſum interea quoq́
Semen uirgineum ſenſibus intuens
Exultantibus, & fide
Pennata placido denuò iam patri
Seſe iungere non rudis.
Hæc eius triplicem uota per aerem,
Immenſumq́ per athera

Celſis

Celſis uecta Dei miſcuit auribus.
Hæc & promere debitas
Illum actis Domino compulit exteris
Grates, deq; ſuo grege
Paſtorem placitam cædere uictimam,
Incenſamq; ſuis eam
Pennis aſtrigerum uexit ad æthera
Cum flamma leui & halitu,
Admotisq; Dei naribus intulit.

ODE XIX.

De Nechemia.

Noſtro more, Deus, quondam etiam ſuam
Nechemias patriam flebat amabilem,
Eius diruta mœſto
Voluens mœnia pectore,
Seq; illo patribus qui tumulum ſuis
Gratum præbuerat, deſtitui loco!
Cernens, aq; placente
Arceri patria exulem.
Hinc eius macies rugaq; lurida
Turpabat faciem, nec poterat latens
Regem fallere mœror,
Eius pocula de manu
Dulci plena mero ſumere qui ſolet:
Quin fuſis lachrymis uota ſimul tibi,
Erumpenteq; luctu

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

In uoces aperit ſua.
Tuq́ ô Chriſte preces, & querimonias
Eius tum placidis accipis auribus,
Et cor principis illi
Perquàm ſuauiter applicas.
Ergo miſſus abit, cinctus & agmine
Fraterno peditum, quo patriæ ſuæ
Reddat mœnia charæ,
Turpe & demat ei probrum.
Quàm ſerra lateres contudit impiger?
Quàm ſementa lubens miſcuit? omne opus
Vnus promouet ardor,
Ac deſiderium flagrans.
Structuram nimis hinc lumine liuido
Hoſtes aſpiciunt creſcere, nec ferunt:
Quin & bella coacti
Nequicquam fera concitant.
Stat pugnare ſimul promptus, & hac gerit
Heros arma manum ſæua: ſed altera,
Dextra nempe laborat,
Atq; abſoluit opus tuum.
Quæſo uota pius noſtra quoq; ô Deus
Exaudi, & patriæ mœnia nunc mea,
Demptaq́; impietate
Verbi redde tui ſacra.
Mitte heroa aliquem, qui tibi ſeruiat

Vltro

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Vltro morigerus quiq; operis tui
Mentem flagret amore:
Necnon robore pectoris,
Et belli emineat ritè ſcientia:
Armaq; auxilio fidus cum tuo,
Quò præſtetur & illic
Tandem laus & honos tibi.

ODE XX.

Querela, de deplorata mundi conditione.

O Vanitatum triſte cæcarum chaos,
Hoc hoc poſtremo tempore conſpicuũ,
Quo ceu reuixit pura Chriſti concio,
Cumq; ſuis radijs denuò Phœbus adeſt.
Adeſt quidem ille, & fulgidum reddit diem,
Sed noſtra in cæca pectora nocte manent.
Miſsis prophetis mandat effari ſuam
Iram flammiuomam, terribilesq; minas
Ad uerſus omnes poſteros corrupti Adæ,
Natos conſimiles impietate patri:
Sed ficta læuus illa grex mortalium
Cogitat, & rigidum ſe ſimulare Deum,
Non eſſe uerò. pergit hinc, minacibus
Obſtructis uitijs, exhilarare ſuam
Ad tempus animam, quærit Euangelium,
Et Chriſti geſtit cognitione rudi:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

De corrigendis uix tametſi cogitet
Moribus in melius, criminibusq́ ſuis:
Nec obſequi ſe uelle proponunt Deo,
Nec culpæ trepidant agnitione ſuæ:
Omnino uerò more mundi tranſigunt
Vitam in flagitijs abſq; dolore ſuam,
Abſq; inuocatione, citra lachrymas,
Nec tibi pſallentes carmina grata Deus.
Tamen minas haud pertinere ſomniant
Ad ſeſe, neq; iam lex operatur eis
Iram, at feroces efficit clementiæ
Cantatæ lætus nuncius ille tuæ.
Fruſtra prophetæ contra eos pugnant pij,
Fruſtra iam iaciunt ignea tela tua:
Dum cuncta credunt ficta, & immutabile
Iudicium rident impia turba, tuum.
Veni ueni rex iuſte, ueritas eis
Iudiciumq́; tuum fac manifeſta ſient.
Conuerſionis nulla iam ſpes amplius,
Dum reprobis iram te ſimulare putant.
Atq; ergo uatem negligunt, ſi quis ferè
Carmen eis recitat triſte, magisq́; legunt
Iocoſa ſcripta, & ethnicis ſimillima,
Sæpeq́; firma parum uincla pudicitiæ.
Veni corona cinctus alati gregis,
Et maieſtatem profer amabò tuam.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Tuæ propinquent omnium ſedi pedes,
Quos unquam uidit terra, uidebit item:
Iamq́, expaueſcant tandem, & horrendiſsmam
Conſpiciant iram reproba turba tuam,
Tegiq́, nigro territi quærant ſpecu
Nequicquam à facie maxime Chriſte tua.

ODE XXI.

Querela Eccleſiæ, de liberorum corruptela.

FOelix dicta pij regis Olympici
Coniux, progeniem propter amabilem,
Adſum Eccleſia, ſummis
Cor quaſſata doloribus.
Nec, quæ ſæpe ſolet de cruce prægraui
Natorum, ac reprobi ui gregis extera,
Quanquam triſtis & illa,
Noſtra eſt iam querimonia.
Membris corporeis crux grauis eſt quidem,
Et certis adimit fluxa pijs bona,
Aſt æterna relinquit:
Immò largius aduehit.
Verùm perpetuam perniciem uidens
Noſtræ iam ſobolis proh dolor, id pie
Tecum Chriſte patrone
Triſti carmine conqueror.
Dum grex progenies exiguus fuit

Quon

Quondam noſtra, uidens fructibus optimis
Vitis more nitere,
Orabam numerum augeas,
Demens: quippe meis id fuerat magis
Vrgendum precibus, uera fides eis,
Virtutum illa magiſtra,
Horis creſcat ut omnibus.
Nunc uidiſſe meas te liquit ad preces
Illas. quando adeò multiplicaueris,
Vt Germania tota,
Nec non Angliacum ſolum,
Immò tota Helicen reſpiciens plaga
Mundi, quam dubijs nauta Pelaſgicus
Quærit rebus, ab alto
Semotam Oceano procul,
Amplo noſtra ſinu pignora nutriat.
Sed quid nam? ſolidũ hoc num mihi gaudiũ
Adſert? immò miniſtrat
Cauſam triſticiæ grauem.
Quid matri ſiquidem triſtius accidat,
Quàm natos, utero quos perperit ſuo,
Formauitq́, perire
Vno fulmine plurimos?
Sed paucos melius iugiter edere
Victuros, & ijs deſtitui fera
Quos mox Atropos aufert,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Eſt haud parua beatitas.

Olim dulcis erat res memini mihi,
Paruam progeniem cernere floridam,
Matriq́ꝫ officioſam,
Et rex morigeram tibi.

Nunc poſtquam numerus creuit, abijt uigor,
Vt cœtum ſimilem gentibus æſtimes:
Tam delinquere prompta,
Tam parêre tuis pigra

Mandatis, Deus, eſt. obſecro reſpice
Me clemens miſeram, ne mea, ne tua
Triſti perdita letho
Cernam uiſcera plangere.

Quin ſancto recrea pectora ſpiritu
Illorum, & ſua da crimina lugeant,
Et uerace miniſtrent
Moti Chriſto tibi fide.

ODE XXII.

Chriſtianos licet nondum perfectos, tamen innouatos eſſe.

QVi capax cœlos globus ambit omneis,
Circulo pleno rapit in ſiniſtrum
Per quater ſenas uiolentus horas
Omnia ſecum

Aſtra. eum fallit neqꝫ flexuoſus
Mercuri fractus, neqꝫ Martis ardens

Fla-

Flamma, nec Phœbe, cita nec frementis
Ira leonis.
Attamen contra quoq; uerſus ortum
Proprio fertur ſibi quodq; motu:
Hoc licet uelox magis annotetur,
Tardius illud
In ſuo curſu. ſacra ſic & ipſa
Turba ſanctorum proprium uocata
Cœlitus, contra leue uulgus urget
Sedula morem.
Et ſuum cernit uitium, & fatetur
Triſtis, & punit lachrymis, & odit:
Mox & ad Chriſti recreata nomen
Vincit amicum.
Et ſui puras Domini nouata
Semitas calcat, monitisq; blandis
Quo datur pacto, uigilanter eius
Morigeratur.
Interim uerò tamen & prophano
Sæpe ſeducta à grege prauitatem
Haud fugit longè ſatis, immò diro
Admittit amore.
Sic pius Dauid petijt cubile
Militis, ſeruumq; Dei cecidit:
Sic & imbelli Petrus abnegauit
Ore magiſtrum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Hinc Deo ſacrum quoq; more uulgi,
Plurimi frangunt populum catharri,
Mortis & putri uorat in ſepulchro
Sæua tyrannis.

Attamen, quando grauis obſtiterunt
Motibus carnis, dominoq; uera,
Senſu & humano uelut altiora
Corda leuarunt:

Haud nigro æternùm tumulo putreſcent,
Nec luent ſemper ſua praua letho
Facta, ſed ſurgent, alacriq; pſallent
Mente patronum.

His ego, ô, mixtus niteam redemptor
Nunc, & æternùm rogo, nunc reatum
Defleam, uitemq; meum, refectus
Deinde quieſcam.

ODE XXIII.

Puerorum in foro ſedentium, Nomi & Euangeli querela.

No. S*Vrdo iam ne diu ſatis*
Huic legi populo triſtia carmina,
Sudauiq; reis nocens
Fruſtra pectoribus demere gaudium:
Cum uatis tetrici minas,
Inſuauemq; ſonum terribilis tubæ
Contemnant, neq; territo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Luctum ſignificent pectore debitum?
Eu. Certè fruſtra ego lenio
Grato non pauidos carmine, dum ſua
Cunctos (res miſerabilis)
Contentos uideo lætitia breui.
Hinc nec dulcis ijs mea
Iam, nec ſidereis picta melodijs
Eſt cordi cithara, ad ſacros
Vt ſaltare modos pectore ament noui.
No. Ergo'ne horriſonum Dei
Nequicquam cecini perpetuæ reis
Vobis iudicium necis?
Et corde ut rigidus iuſſa uelit ſua
Seruari Deus integro,
Veſtras iam fragiles exuperent licet
Vires, aut ſine termino
Perferri gemitus, & fremitus truces?
Eu. Ah demens ego fœtidis
Proieci ſuibus margaridas bonas
Conculcantibus improbè,
Obſtruxiq; oleo putida adhuc, rudis
Infuſo malè uulnera:
Dum gnatum pauidis exhibitum Dei
Culpæ flebilis, & necis
Securo populo concinui lytrum.
No. At res ira grauis Dei eſt,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Atq; eius leuis haud fabula ſunt mi n:
Immò mox aderunt malis
Horrenda facie. uos igitur cati
Vel nunc triſtia plangite
Mutatis animis ueſtra piacula, &
Iuſto uos humiles Deo
Faſtu depoſito ſiſtite iugiter.
Eu. Quin tum, depoſito metu,
Confidente Deum quærite pectore,
Conuerſis placidum omnibus:
Qui uos chari etiam non dubitat nece,
Et fuſo, ſibi, ſanguine,
Amiſſos, iterum iungere filij:
Tantum præſidijs uagis
Niti deſinite, & fidite filio.

ODE XXIIII.

Hominum cuiq; ſuum proprium eſſe donum.

DOnum quiſq; ſuum cœlitùs accipit:
Hic eſt ore potens, dulciloquãq; habet
Pitho ſub labijs, & uaga pectora
Vulgi conſilio regit.
Eſt alter manibus promptior impigris:
Nec quiſquam eſt adeò uilis, ut utilis
(Dum ſeruum Domino ſe tamen obtulit)
Nullis eſſe queat modis.

Me,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Me, qui uel proprio iudicio modò
Nullis uiſus eram rebus idoneus,
Naſcentem en placido lumine deſuper
Vidit ſacra Polymnia,
Aeterno imperio morigerans tuo
Princeps omnipotens. ergo pecuniam
Collatam Domini munifica manu
Non abſcondere mens mihi:
Sed proferre placet, pauperibusq́ eam
Impartire Dei ſpiritualibus:
Securis animis noxia demere,
Mœſtis promere gaudia.
Tantum tute meo ſuggere pectori
Dulces materias obſecro dux meus,
Et concede, ſuo cuncta ut in ordine
Diſponam, ſapientiam.
Tractandisq́ decens rebus item tuo
Da uati eloquium: deniq́ gratias
Interſparge tuas carminibus meis:
Cunctorumq́ precor trahant
In ſe furtim animos, quò ſua commodè
Securis moueas hulcera mentibus,
Luctumq́ hic grauis haud perpetuum intones
Noſtræ carminibus lyræ.
Quin me dehinc etiam, me famulum tuum,
Et uatem, decori ſeruio qui tuo,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Denſis è tenebris eripe, & omnibus
Tecum fac celebrem pijs.

Libri octaui Finis.

CARMINVM RE-CENTIVM LIBER Nonus.

ODE I.

Ad Dei magis quàm ad hominum fauorem reſpiciendum.

STa procul cœtus prophane,
Et ſacram uita lyram,
Quiſquis & priſcum requiris
Artis ornatum Ethnicæ,
Nec patefacti figuram
Chriſti amas humillimam.
Ethnici quondam cauebant
Tædium legentium:
Suntq́ plauſum conſecuti,
Et nitenteis gratias
Impia numeroſitate
Inuocandorum Deûm:
Quando iam Faunos agreſtes,
Iam deorum nuncium
Pro rei diuerſitate,

Iam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Iam Cyprin, iam Tyndari
Filios inter pericla
Dura ſurdæ Tethyos,
Vel Iouem, uel eius ortam
E` cerebro Palladem,
Sæpe Phœbum, ſæpe pictæ
Fœdus immotum Iridis,
Viſa ſæpe per tenebras
Inuocabant ſidera.
Et quis omneis ſiue cœli,
Siue ſyluarum incolas,
Siue ſalſis luſitantes
Nominarit fluctibus?
Siue in aula Ditis illis
Mitigatos dæmonas?
Vnde & acceptæ prophanis
Extiterunt fabulæ,
Iisq; gentiles poeſes
Expoliuerunt ſuas:
Sic ut ipſum hoc æmulandum
Iam quoq; haud pauci putent.
Sed meus mihi redemptor,
Cuius exequi magis
Chara iuſſa, quàm prophanis
Obſequi ſtat auribus,
Aſtitit, uellensq; mentem

Certus

Certus hæc effatus eſt:
Gloriam quærant ſuperbi
Mox futuram nil, ſine:
Et ſuaue uanitatem
Concinant læuo gregi.
Hoc decet cœtum ferocem,
Quiq́ me non inuocat.
Tu mihi uates miniſtra,
Tu mihi uni ſupplica,
Et meo ſecura uerbo
Frange, tanquam malleo,
Corda ſaxis duriora,
Lege terrens horrida:
Sicq́ eos meæ fac aptos,
Et capaces gratiæ.
Moxq́ quorum corda ſæuis
Preſſeris clamoribus,
Patris his per me fauorem
Reſtitutum prædica.
Sis mihi fidus miniſter,
Præco ſis laudis meæ.
Gloriam tuas per odas,
Qui tibi illas offero
Deſtituto, ſempiternam
Quære nomini meo,
Et choro ſerui piorum:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Tum celebris mecum eris.
Non quidem turbæ feroci,
Sed beandæ Eccleſiæ:
Fortè & hîc ſi negligeris,
Poſtea certè canes.

ODE II.

Neminem non renatum Deo placere.

Recenter ortus non reperit ſibi
Parens Adamus comparē, at omnibus
Rector creatis rebus unus
Præfuit, impoſuitq́ nomen.
Quare ſoporem doctus ei grauem
Immiſit author, fortiaq́ artifex,
Cum carne molli, ſumpſit oſſa
Illius è latere haud dolentis.
Hinc Aeua coniux dulcis ei ſtetit
Mox excitato, cordeq́ eam ſibi
Coniunxit ardenti, nitere
Carne ſua quia ſenſit illam.
Myſterium eſt hoc grande, nec indicat
Mortale tantum coniugij decus,
Sed puri Adami cum fideli
Coniugij ſacra uincla mente.
È matre nati culpa ſumus mera,
Fœtorq́ coram luminibus Dei:

Dum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Dum ſancta non ſimus renati
De placita caro carne Chriſti,
Osq́ illius de fortibus oſsibus:
Immò niſi eius pneuma ſacerrimum
Nos recrearit, iamq́ puræ
Miſcuerit noua ſenſa menti,
Sordemus illi. Dicere ueritas
Compellit, eheu, flebile me melos,
Noſtrisq́ ceſſantem querelam
Denuò temporibus mouere.
Non me redemptor ceu tibi coniugem
Iungis placentem, dum uetus horreo
Natura, peccatisq́ diris
Pergo tibi grauis imminere.
Quanquam ore tu ſis plurimus in meo,
Et gnata tecum pulchra fides tua:
Quanquam & rebelles, uerba fruſtra
Sæpe docens tua, iure damnem.
Prauæ neceſſe eſt, ut moriar, tui
Timore, carni: cordeq́ nunc, modò
Securus, angar, lege tactus
Chriſte tua nimium ſeuera.
Hêic perferendum iudicium tuum
Non mite cunctis, qui tibi poſtea
Terrore pſallent liberati.
Culpa ſemel ſua cuiq́ flenda eſt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Sed has tenebras tu quoq; mitiges
Nobis oportet, luciferi modo,
Et ſolis obſcura nitentis
Nocte, miniſterio ſororis.
Tu redde uitæ me quaſi mortuum,
Vultuq; turbatum exhilara tuo,
Per ſpiritumq; in mente ſanctum
Scribe mea mihi te fauere:
Eiusq; prorſus motibus innouer,
Et corde flagrem te ſimul, & tuos
Ardente pauperes, tibiq;
Pectore dehinc famuler lubenti.
Imago planè deniq; ſim tua,
Flatu nouatus deſuper igneo:
Tum corde me exultante cernes,
Tum ueniam tibi grata coniux.

ODE III.

Deum ſolum eſſe ſummũ bonum.

TV rex Chriſte fidelium
Doctæ cœlitùs unicus
Menti es uera beatitas,
Et perfecta uoluptas.
Et ſi cuncta reliquerint
Me prorſus bona, & indige
Nil affulſerit omnium,
Quæ natura requirit:

Nec res ampla domi, neq;
Vulgo nomen amabile,
Membrorum neq; ſanitas,
Exoptata nec uxor:
Læta mente canam tamen,
Dum tantummodo tu Deus
Hoſpes pectore ſub meo
Sedem gratus habebis:
Diſtinctisq; perennia
Conſcribes ibi litteris,
Certo, carmina, de tui
In me patris amore.
Non tum gaudia dempſerit,
Quanquam triſtis erit dolor
Externus mihi: ſed tibi
Pſallam corde lubente.
Verùm ſi mihi tu grauis
Vultum Chriſte teges tuum,
Peccatisq́; reliqueris
Merſum triſtibus unus:
Heu, nec Crœſi opulentia,
Nec fortuna Polycratis,
Curas tabificas mihi,
Mordacemq́; dolorem
Demet. Nauſea qui n grauis
Mox, quam pluribus expeto

Votis,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Votis, tu niſi faueris,
Fiet grata puella.
Te cedente Deus, bona
Marceſcunt ſimul omnia,
Vuarum inſtar, ubi negat
Vultum Phœbus amicum.
Sed cum lumine uiuido
Mauros linquit, & huc redit,
Nudam floribus omnibus
Terram ueſtit, & herbis.
Et tu quem placido pater
Cernis lumine, mitigas
Cladeis eius, & indigo
Das utrumq; leuamen.
Ergo te flagret unicè
Cor, & concupiat meum,
Soloq́; effice cogitem
De te fide redemptor.
Ac ſuccede meæ fauens
Menti, lumine cum tuo:
Aeternisq́; bonis eam,
Et cœleſtibus orna.
Quin & quem fragilem uides,
Quaſſatumq́; pauoribus,
Quæſo corporeis quoq;
Largus reffice donis.

D ODE

ODE IIII.

De concione Noæ.

QVàm nulla proſit gratia reprobis,
Noſtro uidere eſt id quoq; ſeculo.
Nam quum nocentem iam timorem
Ex animis hominum fugauit
Verbi, creator, lumine reddito:
Lata en probatur ſemita plurimis,
Immò ſoluti prorſus omnem
Eijciunt animo pauorem.
Hinc dura ſurgit concio triſtibus
Verbi miniſtris: hinc tonitru horridi,
Dignam ſuperbis ultionem,
Iudicij meritò minantur.
Sic doctus olim præco Dei Noah,
Secli ruentis noxia ſuſtulit
Errata, doctrinamq; ſcriptis
Aßimilem proaui reduxit.
Et reſtituta eſt pura quidem fides
Illius æuo, noticia & ducis
Arcana promißi reuixit,
Spemq; uagam pepulit, metumq;.
Securitas at mentibus horrida,
Sancti timoris neſcius & tumor
Irrepſit, ornatamq; ſcopis,
Et uacuam ſubiere ſedem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Nocentiori dæmones agmine,
Expulſionemq́ horribili modo
Ceu uindicantes, attulerunt
Exitium grauius receptis.
Hinc in profundum prona ruit ſcelus,
Seruitq́ olenti turba libidini,
Et numen irritat ſeuerum,
Fitq́ ſuo lachrymæ miniſtro.
Defertur ergo concio cœlitùs
Noæ gementi triſtior: i tuis
Præſens coæuis uniuerſis
Exitium refer imminere,
Imbriq́ mergendum immodico ſolum,
Ni turpis illos pœniteat uiæ,
Nulloſq́ linquendos madenti
Quadrupedes, bipedes'ue in orbe.
Diſcedit ille, & iuſſa Dei ſui
Dum gnauus urget, terribilem nouo
Depromit ore cantilenam
De Domini dominantis ira.
Sed illa ſecuro, heu, populo canit,
Vatemq́ ridenti: horrida dum Dei
Senſere tandem tela, uaſtoq́
Oceano periere merſi.
Nuſquam obſtinatis numinis ultio
Prædicta nequiquam eſſe liquet, Deus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Mitis quidem omni pœnitenti eſt,
Sed reprobis grauis & ſeuerus.
Ne quæſo iuſtum nunc homines quoq;
Spernant furorem cunctipotens tuum
Rex corde ſecuro, minaxq;
Exitium, ſibi, negligentes
Prænunciatum carminibus meis:
Quin expauentes pectore te Deus
Quærant egeno, iamq; uera
Se famulos tibi mente dedant.

ODE V.

Precatio Eccleſiæ, exemplo latronis in cruce.

Dura Chriſte, uelut latro, premor cruce:
Nã pulſa è patrijs finibus, heu, domũ
Exul quærere cogor,
Atq; excuſſa opibus meis
À conſanguineis diuidor, extero &
Sum probro populo, ſæpe & apud malos
Vitæ uerſor aperto
In diſcrimine lubricæ.
Sæpe & corripiunt, &, niſi tu uetas,
Infauſtam lacerant uindice dextera.
Tanto dirus eorum
Ardet rex odio mei.
Sed quando uitijs horreo triſtibus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Et ſæpe imperium tranſgredior tuum,
Inſanoq́; relučtor
Primi more tibi patris:
Non eſt quod querar, & iuſticiam tuam
Culpem, ſi grauibus cladibus opprimar,
Extinguarq́; benignus
Tu, iuſtusq́; manes tamen.
Quiſquis peccat, atrox, debita, mors rapit
Illum, pœna: ſed is qui reus eſt necis,
An, dum uita relicta eſt,
Vllum ſupplicium gemat?
At non pœna, ſcio, hæc perbreuis expiat
Peccatum, & gelida liberat à nece
Sontes: immò minatur
Venturam celeri pede.
Ergo quis miſera me magis eſt miſer,
Si, quæ iam crucior, ſum quoq; debitrix
Lethi nota perennis
Propter multa piacula?
Sed te gnate Dei, qui prope me haud reus
Pendes, intueor lumine pallido,
Et confiſa precatus
Effundo tibi ſupplices.
Me propter moreris: mors breuis hæc tua
Vita æterna mihi ſit precor, & mei
Pœnam ſolue reatus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Meq́ à morte reſuſcita.
En mox deficio, mox rea corruo
Aeternum in barathrum, ni pius adſies,
Et me protinus atris
Hic à ſordibus expies.
Vocem quæſo tuam ſenſibus hauriam
Internis placidam, & recreer antea
Quàm deſecero, nec pòſt
Mentem quibo nouam indui.
Te cor Chriſte meum fidere ſuſtinet,
Et ceu iam placidum diligere incipit,
Sumq́ ut certa fauoris
Erga me pauidam tui:
Te cantare dehinc, & celebrem omnibus
Ardeſco populis reddere, me tibi
Subiectam offero ſeruam,
Me fidam tibi coniugem.
Sed quicunq; odio, turpe, flagrant tui,
Blaſphemantq́ tuum nomen: eos ego
Deteſtabor, & omni
Cura ſedula corrigam.

ODE VI.

Precatio pro Philippo præceptore noſtro iter ingrediente.

Qui tentare coactus es
Natus Chriſte recens horribiles uias,

Fidus

Fidus dirigito mei
Præceptoris iter, ſisq́ precor comes:
Latronumq́ nefariſs
Pulſis inſidiſs, & memori ducis
Ira, duc ſimul, & reduc
Illum ſollicito diſcipulûm gregi.
Vitæ mille pericula
Circumſtant hominis. prouida ni Dei
Mens, & cura piæ uetet
Matris, præcipites abripient adhuc
Infantem fluuij, aut malè
Splendens flamma rudi deſtruet, aut mucro
Lædet noxius inſcium,
Morbiq́, & Satanæ uis reliqua auferet.
Poſtquam uerò adoleuimus,
Non tantum Zephyri naufragio graui
Extinguunt miſerabiles,
Nec ſolæ rapidis corpora dentibus
Nobis dilacerant feræ,
Non incendia, non horrida fulmina,
Non collapſa citò domus
Tantum infert miſeris fata minacia:
Sed quærit quoq; mutuis
Se mortale genus perdere cædibus,
Ferrumq́ exacuunt ſua
Immanes uelut in uiſcera. ſic draco

Ludit ſtragibus efferis
Miſcendis hominum: tanta potentia
Turbandi domitos ei eſt,
Hacq; explendi odium Chriſte uia tui:
Quando ceßimus à patris
Mandato, & Stygij principis impio
Virus pectore ſumpſimus:
Hinc nos ira Deus iuſta premit tua,
Hinc & iure reos truci
Tortori Satanæ linquis, & abijcis
Omne in ſupplicij genus,
In curam uariam, & mille pericula.
Sed tu, qui tumidum caput
Anguis tartarei conteris, ô potens
Heros, edite uirgine,
Rurſum propitium concilies tuum
Nobis quæſo reis patrem,
Nosq; atris Erebi faucibus eruas,
Pœnasq; & mala mitiges,
Aerumnamq; pijs multiplicem arceas.

ODE VII.

Ad legem exhortatio.

TOto uerere ac dilige pectore
Deum ſeuerum, poneq; ſpem tibi
Firmam iacenti, & certus ora, &
Mente tua celebretur altus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Atq; ore ſemper. nec uide præferas
Vnquam paratas corporis uſui
Res conditori: quin uoluptas
Vna tibi Deus expectatur.
Eiusq́; cauſa proximum ama quoq;,
Tuum ecce fratrem, & patris imaginem:
Idq́; haud minori raptus igne,
Quàm ſibi quo fauet ipſe quiuis.
Nec tantum agendo lædere eum caue,
Sed cogitando tu quoq;: nec tibi
Cor bilis urat propter illum,
Ipſius & fuge res auere.
Sis iuſtus omni tempore, ſis pius,
Veraxq́;, caſtusq́;, & cole iudices:
Hæc nanq; iudex urget ille,
Gens cui mox rediuiua ſiſtet
Mortalium omnis. Mobilis haud ei
Mens eſt: nec illud quod ſtatuit ſemel,
Refringet unquam, nec malignè
Crede Deum ſimulare quicquam.
Quondam, relictum quum uetuit Lotho,
Illiq́; iunctis reſpicere oppidum,
Teſtatur illum triſtis uxor
Facta lapis, uetuiſſe uerè.
Teſtaris illum tu profugus quoq;
Ieſſæ uates poſt homicidium,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Stuproq́ fœdatum cubile,
Non animo dare iuſſa falſo.
Quum clamat ergo legifer: Omnia
Quæcunq; libris præcipio ſacris
Præſtato plenè, uel reatus
Perpetua maledictione
Soluendus hic eſt, & nece perdito:
Ne corde ſecuro obſecro præteri,
Tanquam abrogatæ iuſſa legis
Irrita, nec tibi deſtinata.
Securitatem quin magis exuas,
Et hoc uoluntatem eſſe putes Dei,
Hoc lege nunquam deſitura,
Hoc animo rigido iubere.
Torporem ineptis artubus excute,
Abrumpe quicquid ſemouet à Deo:
Reſtringe carnem, ſperne uulgus,
Et Satanæ iuga dira calca.
Intende neruos, utere uiribus,
Nec blanda poßit cor Domino tuum
Poſthac leuantem ſeu uoluptas,
Siue grauis dolor impedire.
Si quando uerò defueris tibi,
Præuaricatus uel minimum Dei
Magni ſtatutum: tum pauore,
Tum caleat tibi pectus ira

Contra

Contra reluctans ingenium tuum,
Mœſtoq́ Chriſtum corde reus pete,
Supplex & eius tange plantas,
Præteritis meliora ſpondens.

ODE VIII.

Conſolatio Chriſti ad pauidos.

ARente ſi quis corde pauoribus,
Culpæq́ uultu terribili ſuæ,
Iræq́ diuinæ repreſſus,
Dulce cupit ſitiens leuamen:
Chriſtum requirat. Chriſtus eum uocat:
Huc quiſquis horres paupere ſpiritu,
Te liberare, & recreare
Cura mea ſedet una mente.
Quàm primùm Adamum diruit, heu, mala
Fraude anguis, illumq́ imperio patris
Perſuaſit abiecto ſeueri
Perpetuam trepidare bilem:
Immenſa mox en commiſeratio
Pungens meum egit pectus, ut ad patrem
Accederem, oraremq́ ſupplex,
Et miſeri generis patronus:
Me propter illis parce, rogo, pater,
Nec ſempiterna computreant nece,
Qui plaſma ſunt noſtrum, quibusq́
Gnatus adeſt tuus aduocatus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Amore ſemper me me pater igneo
Videt, nec unquam quid mihi denegat:
Ergo, inquit, ô dilecte gnate,
Grata mihi tua uota ſurgunt.
Nam chara gens eſt lapſa mihi quoq;,
Illamq́; nobis reſtitui flagro:
Sed legis edictum repugnat,
Iuſticiæq́; rigor ſeueræ.
Quare uel illi fiat uti ſatis,
I, morte triſtem ſerua hominem tua,
Natura & humana relucens
Perpetuæ mea legis imple
Mandata perfectè. inſuper & grauem
Pœnam reatus ultro fer illius:
Tum quiſquis uno te patrono
Fretus erit, mihi diligetur
Et tecum, & in te. morigerus dein
Dum carne uelor, iuſſa lubens patris
Abſoluo, & inſons triſte tetri
Supplicium ſubeo reatus.
Hinc ô gementes pectore tabido
Ne ſpem locetis rebus inanibus,
Luctum nec ingentem fouete,
Quum pauidis ego ſim patronus.
Et culpa nulla eſt tam grauis, & licet
Verè fuget me: ſic tamen haud fugat,

Quin

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Quin illam in afflictos, & ob me
Rurſum hilares, mea flamma uincat.

ODE IX.

Cur iam ſolito magis peccato ſit reſiſtendum.

LVx appropinquat triſtior impijs,
Qua Chriſtus alta lucidus iride,
Iudex ab omni parte cinctus
Cœlituum populo, ſedebit.
Tunc è ſepulchris denuò prodiens,
Et membra dudum putria, iam noua
Induta priſci tota Adami
Poſteritas, rediuiua ſurget.
At ſcandet hircis grex pius altior,
Graui ſolutus labe piaculi,
Quæ iuſta nondum fata paßis
Ante reos onerauit artus.
Tardante uerò morte ſuperſtites
Nos, quotquot ægro lumine iudicem
Cernemus iſtum fulgurare,
Nec dabitur dein exuiſſe
Membra inquinata (ut monſtrat Apoſtolus)
Tunc morte uicta, quî Domino obuiam
Poſcente ſublimes feremur?
Nec putris in grege terra læuo
Preßos tenebit? Nam uitium eſt graue.

Hoc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Hoc & rebelles detulit angelos,
Quanquam uolucreis rumor alas
Narrat eis Dominum creaſſe.
Nitamur ergo quæſo mori, prius
Verè, ac auenas uellere ſtirpitus
E' corde, & euitare culpam,
Et nitidos ſine labe prorſus
Omni miniſtros ſiſtere nos Deo,
Eiusq́; totis uiribus, ac ijs
Tam per labores, quàm precatus,
Imperium facere, ampliatis.
Planeq́; nunquam dum datur aſſequi,
Quod deſtinamus, curſus erit magis
Vrgendus, ille & puniendus
Aßiduis lachrymis reatus.
Sic exprimentes pectore plumbeam
Securitatem, certius obuiam
Scandemus optato patrono,
Ipſius auxilium ſtupentes.

ODE X.

Querimonia Pietatis deſolatæ.

SVpremo Pietas pulcherrima nympha To-
Gnauaq́; Obedientia (nante,
Nata, meas tales (agens poſtera crede) querelas
Obiecit alto ſenſibus
Cum gemitu (ſacra licet eßet in urbe) uigentis
Ad

Ad ſæua brumæ frigora
Nuda, famemq́ grauem perpeſſa, ſitimq́ moleſtam,
Et omnium rerum indiga:
O Chriſti iactans meritum gens, hanccine patri
Meo refertis gratiam,
Qui uobis culpam placidus, pœnamq́ remittit,
Tantumq́ uos id credere,
Dilectæq́ mihi ſoboli iubet eſſe benignos,
Promptaq́ largiri manu
Omnia, tum præſens quæ munera uita requirit,
Tum quæ futurum ſeculum?
Atqui uos quoq́ me ueſtris excluditis omnes,
Inſtar Papiſtarum, ædibus:
Quanquã hoc excellũt uos illi crimine, quòd me
Suo fugant ex oppido,
Damnantq́ exilio, magnoq́ necare furore
Quærunt ſ a àm turpiſsimo
Dæmoni parentes. Vos intra mœnia ueſtra
Sedem relinquitis quidem,
Tanta nec eſt uobis etiamnum inſania, prorſus
Vt me uelitis mortuam:
Immò & per totã canor urbem, et laudib. ornor,
Veſtrumq́ ſuadet alteri
Alter, ut hoſpitio ne me donare grauetur,
Sed mente quærat ſedula,
Deprenſamq́ colat: mihi cœlitus addita larga

Pro-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Promiſſa monſtrans, ut: ſuis
Qui mihi ſubueniunt opibus, non eſſe futuros
Vel duro egenos tempore.
Sed ueſtrûm hiſce meis ipſa re quæſo mederi
Quis ſuſtinet laboribus?
Quis uocat hoſpitio? gelidos quis calſacit artus?
Ornatq́ nudos ueſtibus?
Squalentemq́ famē num quis mihi, cordaq́ ſicca
Potu, ciboq́ mitigat?
Neſcitis miſeri, uos quanta ſit ira ſeueri,
Si ſpreta uobis amigrem,
Obruitura Dei? Iam dudum langueo morbo
Periculoſo, proxima
Morti: ferte manum, dirumq́ arcete piaclum,
Plagasq́ uobis horridas.
Non me uerba iuuant pia: factis curer oportet,
Sordetq́ hypocriſis patri.

ODE XI.

Exhortatio Chriſti ad pœnitentiam.

QVum primùm redijt montium ab aridis,
Deuicto Phlegetonte, eſuriens, iugis,
Cernens agmina Chriſtus
Circumfuſa ſibi, graui
Dixit cum gemitu: Gens miſerabilis
Culpam plange tuam, & deſine gaudium

Vel

Vel iam carpere falſum
Securo rea pectore.
Tete introſpicito, cautaq́; noueris
Occultata tuo corde piacula,
Iraſciq́; memento
Iuſtum ſontibus arbitrum.
An non ille minax triſtibus obruit
Omnes terricolas (deme domum Noæ
Paruam) fluctibus olim
Propter fœda piacula?
An non cum Sodoma quattuor oppida,
Et ciues miſeros, ob ſcelus horridum,
Flamma cœlitùs inſtans,
Nec non ſulpuhure perdidit?
Maiores etiam uindice dextera
Veſtros, quòd colerent ethnica numina,
Captos in regionem
Abduxit Babylonidem.
Nec ueſtro capiti mitior imminet,
Ni culpæ gelidos pœnitet, ac eam
Cautis effugietis
Poſthac ſenſibus, ultio.
Horretis maculis uos quoq; turpibus,
Atq; atrox etiam uos, licet inſcios,
Vultuq; ira minace
Læſi numinis aſpicit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Quare, ſi ſapitis, iam reſipiſcite,
Dum cœli miſeris panditur oſtium,
Nunc & plangite culpam,
Euitateq́ ſedulò.
Quin & læto hilares credite nuncio,
Quem gratus pauidis adfero mentibus,
Quòd quicunq́ patrono
Me ſpem collocat, effugit
Pœnam commeritam. duro ego crimina
Læto ueſtra luam, proq́ piaculis
Pœnam ſanguine ueſtris
Inſons ipſe patri dabo.
Sed ſciſſo tumulo ſidera denuò,
Quæ nunc deſerui ſponte, petam: & meo
Commendabo redemptor
Vos patrocinio patri.
Si qui ſunt igitur paupere ſpiritu,
Plorantesq́ ſcelus lugubre, me fide
Non mendace requirant,
Placatumq́ colant patrem.

ODE XII.

De mortificanda carne,

NArrantem Ieſum diſcipulis necem,
Et multa paſſurum horrida ſe mala,
Ducit ſeorſum, & ſuadet illi
Petrus, uti ſibi parcat ipſi:

Cunctos magiſter tu facilè unico
Sermone ſternas. quis noceat tibi,
Vires paternas exerenti?
Sponte malis caue te propines.
Heîc ductor illum toruiter intuens:
Conſultor, inquit, peßime quin abis
Poſt me, meaq́ à uoce pendes?
Nam ſapis haud ſacra, ſed prophana,
Carniq́ inhæres uanus adhuc rudi,
Necdum ſupremus quid probet arbiter,
Quidq́ eligendum ducat eſſe,
Mens potis eſt tua cogitare.
Simulq́ ab imo turbida pectore
Suſpiria edens, totus inhorruit,
Cernensq́ turbam haud infrequentem
Soluit eis pia labra, dicens:
Quicunq́ uero pectore me uolet
Vti patrono, fortiter abneget
Seſe ipſe, naturamq́ calcet,
Seq́ cruci paret, & labori.
Ignauiæ illum dura neceßitas
Nil cedere urget: mortuus at ſua
Prorſus uoluntati, ſequatur
Me ſimul, & mea ſancta iuſſa.
Nam quiſquis amens hic ſua commoda
Quærit, perenni poſtea ſeculo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Deſiderabit: quiſquis autem
Negligit hic bona, pòſt fruetur.
Sic uitam & ipſam qui cupit hic modò
Seruare, quouis perdet eam: at mei
Qui prodet illam ardens amore
Nominis, inueniet perennem.
Vita'ne quicquam eſt utile perdita?
Vel totus orbis quid tibi conferat,
Nigro putreſcenti in ſepulchro,
Atq; anima Phlegetonte merſa?
Tanti extat uſquam (crede mihi) nihil,
Amiſſam ut illo reſtituas tibi
Vitam: nitentes margaritas
Nil animæ puto comparatas.
Porrò hoc in æuo quem puduit mei,
Meiq; uerbi coram hominum grege,
Illius & me mox pudebit,
Cum ueniam comitatus amplo
Cœtu angelorum, & magnifico Dei
Fulgore lucens: tempus hoc imminet,
Cum gloriam ſpirans paternam,
Ille homo nunc humilis, redibo.
Tum cuiq; factis conuenientia
Suis rependam præmia: credulis
Vitam beatam, ſed prophanis
Perpetuos gemitus gehennæ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE XIII.

Dehortatio à ſecuritate.

TVrbata diris gens rea caſibus
Tandem nocentem deſine cautior,
Securitatem iam fouere
Intrepido, quaſi cæca, corde.
Nunc in propinquo eſt uatibus entheis
Prædictus olim terribilis dies,
Cui nec fuit lux antè, nec pòſt
Clade graui ſimilis futura eſt.
Mox ira iuſti ſidera iudicis
Ardens mouebit, territaq; id uidens
Tellus inhorreſcet, minace
Præ Domini dominantis ira.
Tu ſola rides inſcia, cui tamen
Soli piacli multiplicis reæ
Hæc deſtinata eſt, inq; iuſto
Chriſti animo grauis ardet ira.
Ah praua ſtultè gens facis oppidò,
Cuiusq; paulo pòſt miſerabilem
Te pœnitebit, quodq; inani
Percupies abolere fletu.
Sed nullus uſus tum lachrymis erit:
Fruſtra fatigat ſeſe apud inſeros,
Vanoq; ſaxum uoluit ingens
Syſiphus Aeolides labore:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Nec ſonte poſtquam corpore ceſſerat,
Audita uox eſt diuitis impij,
Quin ſpe ſua fruſtratus omni
Perpetuo cruciatur igni.
Nunc eſt propinquus, nunc Deus obuius
Cuiuis gementi, cordeq́ paupere
Ipſum requirenti, ſuiq́
Flagitij ueniam petenti.
Nunc ultro clemens aduocat anxios,
Crudoq́ mentem uulnere ſaucijs
Offert fauorem, proq́ luctu
Perpetuam recreationem.
Nunc ergo ueſtrum plangite, plangite
Inquam reatum, ponite gaudia
Damnoſa: nunc, aut abſq́ fine
Iudicium Domini ferendum eſt.
Perferre mœrorem eligite hic breuem,
Carnisq́ uoto deſtitui malæ:
Spectate uerò Chriſtum ad unum,
Continuoq́ onerate ſemper
Illum precatu, menteq́ & anxia,
Et acquieſcente illius in pio
Sermone fortes inuocate:
Verè hilares ita mox canetis.

ODE

ODE XIIII.

Picturæ Eccleſiæ.

Miranda uarijs picta tibi eſt modis
In mundi fabrica maxime conditor
Sancta Eccleſia, quæ te,
Gaudens prole, colit, tua.
In primis typus eſt Margaris illius,
Quæ cum ros auidæ cœlitus influit
Conchæ, deinde probatur
Tempeſtatibus efferis
Fœtum concha ſuo tanquam utero parens,
Clauditq́ꝫ, & fouet, haud prodere ſuſtinens,
Ipſa enata medetur
Cordis gemma doloribus.
Alcedo quoqꝫ ſæui in ſcopulis maris
Et nidum facit, & progeniem fouet,
Turbæ more fidelis,
Brumæ tempore turbidæ.
Sed ponente ſtatim fit Zephyro quies,
Solq́ꝫ haud iam rigidus nubibus exilit,
Leniq́ꝫ æquore uectus
Arcanam iuuat incubam.
Sic & ſuſcipiunt lucidius decus
Flammis impoſitæ ſæpe uoracibus
Confectæ ex Amianto
Telæ, purior ut pia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Gens ſit paſſa crucem. Quid taceam cygnum?
Qui contentus aquis grata paluſtribus
Pangit carmina, ſpretis
Regum turribus arduis.
Quem ſæuis odijs armigera & Iouis
Nullo uexat auis iure tyrannica:
Caſtè uitice ueſcens,
Mores quum regit hic ſuos
Stat latis pedibus firmiter hæc auis:
Eſt fœcunda quoq;, & ceu ſibi conſcia
Recti, morte propinqua,
Valde ſuaue canit melos.
Sed lectum populum præcipuè refert
Sacrata arca tuis Omnipotens labris
Olim: namq; perennnis
Illam nomine fœderis
Dignaris pius, & prole tegis tua
Chriſto: lex etiam ſancta inibi latet:
Illic omnia fulgent
Auro intrinſecus, & foris.
Et bini Cherubim dulciter aurea,
Sine accepta Deo geſta regunt fide,
Vt concordia Pauli,
Et Moſaica dogmata.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE XV.

Concio Henochi de futuro iudicio.

VAtes magnus Henoch Dei
Olim degenerantibus
Gnatis decrepiti patris,
Ac iam praua ſequentibus,
Errans talia paßim
Prompſit fratribus obuijs,
Iratus nimis, & dolens
Alto pectore, gloriam
Chari diminui Dei:
Afflatumq́ uenenum
Serpentis dominarier:
Ceſſate ô miſeri uias
Prauas has terere, & nouam
Induti reſipiſcite
Maturè obſecro mentem.
Iam peruerſa licet uia
Vobis blandiat, & nihil
Infœliciter accidat,
Prauo tranſgredientibus
Legem corde ſeueram:
Tempus mox aliud tamen
Pernici ueniet pede,
Quo, quicunq; Dei à ſacra

Voluntate receſſerit,
Fruſtra flebit amarè.
Nam quum ſecula finient,
Perfectuſq; erit aureus
Electi numerus chori,
Deſertum & poterit locum
Lapſi implere Sathanæ:
Celſæ lucidus Iridi
Chriſtus filius inſidens,
Aeterni, ueniet, Dei,
Multorum undiq; millium
Sanctorum agmine cinctus.
Illi carmina concinent
Permixti angelicis choris,
Et tandem pia lachrymis
Terſi lumina ſplendido,
Læta mente, patrono.
Sed contra reprobos graue
Certis iudicium labris
Iuſtus proferet, ac eos
Dura uoce redarguet,
Quotquot ſordibus horrent.
Quotquot iuſſa ſui rata
Calcantes Domini impie
Patrarunt animo nefas,
Atq; aduerſus eum fere

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Permulta ore locuti
Sunt blaſphema, graui reos
Voce, & fulminis impetu,
Vultuq́ horribili ſtatim
Preſſos cedere tartari
Dirum coget in ignem:
Viuentumq́ ibi uermium
Morſus intolerabiles,
Plagasq́ Eumenidum graues
Intra pectora ſontia,
Pœnam ferre perennem.

ODE XVI.

Laus pij coniugij.

FOelices, quibus obtigit
Cũ caſta Sodomã coniuge, & horridas
Euitare libidines,
Immundumq́ ſtatum linquere cœlibem:
Verùm coniugio ſacro
Immiſcerier, & cernere dulcibus
Amplam pignoribus domum
Oppleri, Domini munificentia.
Illi perpetuum pia
Cernent mente Dei mitia lumina,
Lætumq́, eius amabili
Cantabunt facie perfruiti melos:
Dum uitæ genus optimi

San-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Sancitum placito numinis, ac ei
Gratum, cœlitùs additum
Perſuaſi meritò ſemper erunt ſibi.
Nullo materies quoq;
Orandi placidum deficiet Deum
Illis tempore, ſeu fames
Cura ſollicitos dura premat graui,
Resq́; anguſta domi uetet
Securos animos tollere, & abdito,
Pigrum, tempore uel breui,
Torporem, Domino ſepoſito, ſequi:
Seu grata otia liberi,
Tranquillamq́; quietem (hi febris igneæ
Flentes perpetuam ſitim,
Indignati alij triſtia frigora
Brumæ, ſeu tacita quoq;
Dum ui ſæpe ſolent fundere lugubre
Moti carmen, & horridis
Infeſtare domum fletibus) opprimunt.
Tunc hærentia pectora
Curis exonerant ante Deum patres,
Et ſuadente petunt fide
Cæleſtem eius opem: nec Dominus graui
Clemens negligit obrutos
Luctu, ſed placita mirificè uice
Illorum pius impluit

Aptatis

Aptatis animis abdita gaudia.
Vt quondam inſipidi loco
Fontis coniugibus dulcia præbuit
Gratis uina, modoq́ eis
Mirando facilis gaudia miſcuit.
Hinc illum ſimul & timent
Contriti aßiduis corda pauoribus,
Præſentemq́ pij ſibi
Collaudant memori pectore coniuges.

ODE XVII.

Comparatio materialis & myſtici fulminis.

QVum feruentibus exprimis minace
Fulmina Cunctipotens lacerto
Rector nubibus, adijcisq́ raucum
Aerei tonitru fragorem:
Tunc mortalia pectora expaueſcunt
Ocyus, & trepidante certam
Lingua, menteq́ flagitant ſalutem,
Dira ſibi mala deprecantes.
Atqui nil aliud mihi uidetur
Hoc tonitru, mera quàm figura,
Et ludens typus, atq́ inane ſignum
Iudicij, rigidæq́ legis:
Quæ non nube, ſed arduo miniſtri
Ore tui ſonat, & reuelat

Cuiuis uoce ſuum graui reatum,
  Cordaq; non peritura terret.
Vt fulmen ſolet ire cum tonitru,
  Oppoſitumq́; cremare corpus:
Sic legis quoq; non inanis eſt uox,
  At Domini, niſi corrigaris,
Aeternam tibi ſubminiſtrat iram,
  Conijcit & caritura fine
In tormenta, nigrasq́; abire cogit
  Sub tenebras, lachrymasq́; iugeis.
Quam pauci tamen hoc pauent tonitru,
  Adq́; tuæ graue fulmen iræ
Horreſcunt, licet & periclitetur,
  Corporis hêic, animaq; uita.
Omnes hoc tremerent profectò fulmen,
  Surda foret niſi mens eorum;
Audituq́; tui careret intus
  Iudicij, rigidæq́; legis,
Nec ferri ſpecimen tui per orbem
  Vindicis aſpiceret furoris
Cæca, inſanaq́; prorſus, atq; curis
  Exanimata uelut caducis.
Sed pòſt paulo iterum impijs, acerba
  Mors ſimul obueniet, patebunt
Aures, luminaq́;, agnitasq́; ſerò
  Deinde tuas metuent ſagittas.

At

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

At tu cunctipotens Deus benignus
Inſere nunc tua uerba noſtris
Quæſo ſenſibus, ut noua renati
Mente, tuum quoq; nunc fauorem
Potantes, animi ſitim fugemus
Horribilem, & Phlegetontis atri
Vires: idq; ope ſpiritus amica
Chare tui pater, & patrone.

ODE XVIII.

Non eſſe in altum enitendum.

SI tranquilla placet fortè tibi quies,
Audacisq; fugis more Prometheos
Haud ceſſantia ferre
Roſo tormina uiſcere:
Si geſtis animo carpere gaudium:
In quamuis humili ſorte tibi Deum,
Iuncta cœlitùs, imo
Subiectus cane pectore.
Quin, fœlici etiam ſi datur optio
Inprimis humilem prouidus elige
Vitam, & quære latendo
Turbam fallere liuidam.
Fac uanos homines effugias procul,
Et ſoli placido cognitus es Deo,
Soliusq; fauorem
Ambi illius amabilem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Non ingente caret ſæpe periculo,
Plæbeos homines altius euehi,
Fortunæq; fauentis
Illuſtri ſtatui loco.
Primo Iudaico noxia res erat
Regi, fatidico poſcier à uiro,
Dum iumenta paterna
Simplex perdita quæreret.
Si cuſtos patrium paruulus ad gregem
Manſiſſet, furiæ forſitan haud eum
Tanto ardere furore,
Hoſtemq; eſſe fidelium
Iuſſiſſent reprobum. fallit eos, Deus
Quos non erudijt dogmate uiuido,
Quàm ſit dulce, latêre,
Tranquilloq; frui ſtatu,
Quantumuis humili: & quàm mediocritas
Præſtet diuitijs aurea turgidis:
En & dimidiata
Sic pars præualet integro.
Grata ſuſcipiant mente decet pij,
Quodcunq; appoſuit munus eis Deus:
Nec procedere, ceu non
Fretos, ulterius, Deo.

ODE

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE XIX.

Chriſtiano non eſſe mortem terribilem.

SI quis haud uidit faciem benigni
Credulus Chriſti nitidam, atra ſemper
Mortis haud fruſtra properantis illum
Terret imago.

Nam ſub obſcuras miſeris tenebras
Tendit, & nullam potis eſt uidere
Turbidus lucem: gemet ergo uoce
Semper inani.

Cuius at menti, fideiq́; uiuæ
Fulgurat Chriſti fauor, & ſupremi
Patris erga ipſum, tremat ille nullo
Tempore mortem.

Eſt enim Chriſti ſuperata marte,
Et ſuas uires, iaculasq́; tinctas
Perdidit nudata, ſimul ſepultus
Ille reuixit.

Nec ſibi ſoli, ſed & hanc fideli
Cœtui ſtrauit Deus, ut reſurgens
Ipſe poſtrema quoq; luce geſtet
Membra nouata:

Perfruens almi facie ſerena
Numinis, quod ſolum aberit prophanis,

F *Dum*

Dum gerent ipſi quoq; putrefactum
Denuò corpus.
Parce gens Chriſti tremere ergo lethum,
Triſte naturæ licet appropinquet:
Vera non lucent, niſi poſt acerbos
Gaudia luctus.
Immò ſit deſiderium, ſolutos
Eripi tandem tenebris, & atro
Carceri, curasq́; graues quieto
Ponere corde.
Cernere & cœli rapiat cupido
Lucidas flammas, Venerem, Iouemq́;,
Atq; uincentem nitido ſorores
Corpore Maiam.
Sitq́; mirari uarios globorum,
Et citos gyros amor, omniumq́;
Vaſta ſtellarum tenui ſtupere
Corpora mente.
Sitq́; ſanctorum nitidos uidere
Flatuum uultus, ueterumq́; fratrum:
Sed palàm in primis placida intueri
Numinis ora.

ODE XX.

Verbum Dei ſolam eſſe lucem.

TRiſtibus in tenebris (uidemus
Alme uerſamur genitor, dum tua non
Lumi-

Lumina, uerba nobis
Ore cõmendata tuo. nam maleſuadus anguis
Tartarea cicuta
Corda peruertit miſeris, cæcaq; noſtra fecit
Pectora, dum relicto
Proh pudor ſermone tuo, paruimus maligni
Conſilio tyranni,
Et ſuã in noſtris animis cantharidẽ reliquit.
Hinc ſumus & timore
Et fide prorſus uacui: ſed tua quando rurſum
Cœlitus attuliſti
Verba mortali generi, ceu rediuiua noſtra
Pectora denigrante
Tollimus moti tumulo, teq;, tuiq; patris
In miſeros propenſam
Cernimus mentẽ, Stygiũq; excutimus uenenũ.
Mortiferisq; magna
Parte ſanamur tumidi morſibus à Satanæ.
Vnde tui libenter
Comparo uerbũ caſiæ Chriſte parentis: herba
Quippe ea ui ſtupenda
Purgat humanos oculos à ſanie nocente,
Sæpeq; uiperarum
Flatibus diris & opem ſufficit, & uigore
Sidereo medetur.
Hæc tui uerbi Deus eſt conueniens figura.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Illud enim tenebras
Demit internis oculis, & rigidi parentis
Iudicium prophanis,
Atq; ſecuris animis obijcit. at fideli
Concilio fauorem
Pandit, erroresq́; graueis, & dubitationem
Eripit, & regignit
Deſuper, moresq́; Deo reſtituit placenteis.

ODE XXI.

Contritionem eſſe neceſſariam ſaluando.

SEcura circum gaudia perſonant
Mirande rector cunctipotens Deus:
Hic uoce cantillant ſonora,
Ad citharas modulantur illic,
Spirantq́; ad acrem cantica tibiam,
Nullisq́; preſſi corda doloribus
Edunt cachinnos diſſolutos
Continuè, ſtrepitumq́; Bacchi.
Sed ſæuus hæret mente pauor mea,
Pectusq́; mœror diſcruciat mihi
Trito tametſi uota fundam
Corde tibi, mediterq́; laudem.
An ſic neceſſe eſt pectora triſtibus
Contacta ſtringi Chriſte pauoribus,
Quæcunq; tandem te patrono

Side-

Siderea potientur aula?
Sicut beatos dicis eos, in hoc
Quicunq; lugent tempore, moxq́; ijs
Teſtare ſolamen futurum,
Iudicij radiante luce:
Sed uæ minaci uoce tonas eis,
Quicunq; rident pectore nunc leui,
Dicisq́; planctum ipſis mouendum
Iudicij radiante luce.
Ordo tuorum eſt hic operum Deus,
Vt anteaquam uiuifices tuos,
Linquas amara morte preſſos:
Demis opes, quibus es daturus.
Mox largiores trudis ad inferos,
Atrisq́; turbas antè tumultibus,
Quos cogitas ad celſa lætos
Culmina mox reuocare cœli.
Nunquam relinquis Chriſte, nec abijcis,
Quicunq; te non abijciunt prius,
Et derelinquunt infideli
Te ſimul & tua uerba corde.
Si quis paternam longanimis tuam
Fert diſciplinam, nec citò te tuum
Deſperat occultante uultum,
Denuò mox canet, emicante
Te ſole uero. rector es abditus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Præſenſq; ſemper (ſis licet abditus)
Miro gubernas inſtituto
Paſtor oues bone te ſequentes.
Vnde & fidelis te quaſi brachijs,
Totoq; palpat concio corpore,
Quando relicta nube prdis,
Et nebulas animi nigranteis
Diſpellis eius. Tete ego, te Deus
Duro manebo tempore: te, ſcio,
Cantabo paulo pòſt refectus,
Et fatuas miſerabo turbas.

ODE XXII.

Adæ lapſi precatio.

ANgui morigerus quum cecidit parens,
Iuſtiq; horribilem numinis ebibit
Sonti corde furorem,
Conſpexitq; ſequi graueis
Pœnas, ingemuitq;, & querimoniam
Permixtam lachrymis edidit; O` poli
Rector, triſte piaclum
Dele quæſo pius meum:
Et leni miſero ſupplicia horrida,
Ac metire tuam luminibus memor
Aeternam pietatem,
Indignoq; faue mihi.
Mandatum, fateor, præterij tuum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Hoſtemq́ obſequio (pœnitet ô) tuum
Sum dignatus, & ergo
Indignatio me tua
Conſumit meritò, iureq́ de manu
Plagas mortiferas accipio tua,
Non hoc tempore ſolum,
Verùm perpetuò reus.
Quàm fœlix genitor ſumme fui modò
Liber crimine, me quum fauor, ô, tuus
Cinxit more coronæ,
Prompſitq́ omne mihi bonum?
Sed nunc iure uepres arua ferunt mihi,
Quum crimen placiti turpe tibi meum
Venit nomine cultus,
Timorisq́ loco tui.
Aſt horrenda Deus ne, precor, hæreat
Aeternùm omnipotens ira mihi tua,
Infeſtoq́ Satanæ
Ne me dente premi ſinas.
Quin propter Dominum, quem cecinit tua
Venturum pietas, ut tumidum caput
Diri conterat anguis,
Es placabilis obſecro.
Oblitusq́ mei flagitij grauis,
Aſſlatæq́ mihi nequitiæ, tuo
Me iam denuò natum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Clemens indue ſpiritu.
Vt uerace tibi pectore ſeruiam,
Et mente excutiam tartareum iugum,
Sicq́ ô chare redemptor
Aeternam effugiam necem.
Immò nunc etiam nos miſeros tua
Ingens da releuet commiſeratio,
Infirmisq́ labores
Aufer multiplices pius.

ODE XXIII.

Omnibus opus eſſe conuerſione.

CHriſto docenti ſupplicium reos
Inuſitatum, iudice Pontio,
Narrat Galilæos tuliſſe
Turba, gemit graue, & inquit ille:
Solos' ne cæci creditis impios,
Fœtereq́ almi naribus hos Dei?
Tantamq́ ſolos pœnam iniquis
Commeritos periſſe factis?
Et nuper illos octodecim uiros,
Quos turris ingens ad Siloam ruens
Oppreßit, horendum putatis
Exitium meruiße ſolos?
Ne cogitetis pectore ſic leui:
Vindicta uobis parcit atrox patris
Ad tempus, haud quòd iußa legis

Feceritis,

Feceritis,neq; ſitis unquam
Prævaricati. Quin ſcelus omnibus
Vobis adhæret,luminibus Dei
Sordetis omnes,duraq́; eius
Verticibus ſedet ira ueſtris.
Plagiſq́; ijſdem (credite) uos quoq;
Breui cadetis,uel grauioribus
Preſſi ruinis,ni medentes
Abſq; mora,ſapiente corde,
Malis futuris,& properantibus,
Dolore iuſto ueſtra piacula
Et lugeatis uindicantes,
Dum miſeris Deus eſt propinquus,
Et porrò firmo conſilio procul
Vitetis,& ſic cœlitus ad fidem
In me reducti,uiuidamq́;
Notitiam patrij fauoris,
Ipſum nouati pectora laudibus
Vehatis,ipſi morigera quoq;
Inſeruiatis mente ſemper,
Inq́; graui cruce ſupplicetis.
Tunc liberati pernicie horrida
Cantate demum propitium Deum,
Triſtemq́; patrono pauorem
Exhibito ſuperate niſi.

ODE XXIIII.

De cruce.

SVccus ingrati eſt aloe ſaporis:
Attamen ualde medicina ſanat
Efficax, purgatq; malis, & ægram
Roborat aluum,
Et parem ponit reliquis medelis:
Glutinat carnis quoq; uulnus atrox,
Et cicatricem facit, & liquore
Lumina ſoluit
Noxio. Myrrhæ quoq; amarus aufert
Succus humorem. modico dolore,
Dumq; maturum coquit hulcus eius
Parte propinqua
Abſtinet ſana, neq; rodit illam,
Inſuper ſiccat quoq;, nec repentè
Durus aſtringit tamen, anteaquam
Integra ſentit.
Aſperæ picta eſt crucis hîc imago,
Quam tuæ turbæ Deus inſuaue
Poculum, doctus medicus, bibendum,
Appoſuiſti.
Et quidem carni reprobæ moleſta eſt,
Atq; naturæ malè grata prauæ,
Cœtui ualde datur at ſalubris
Potio ſancto.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Eſſe ſecurum uetat, & carere
Debito luctu, proprijsq́ niti
Viribus preſſum. Docet at patrono
Fidere Chriſto.

Et fide uerace Deum precari,
Et ſua ſuadet celebrare laude,
Illius præſertim ope dum ſolutus
Exhilaratur.

Nam laboranti tribuit benignus
Exitus lætos, prohibetq́ fidus
Ne ſuæ damnum nimis illa, turbæ
Inferat, aucta.

ODE XXV.

Ad Deum, pro ſuſtentatione uitæ.

MEcœnas inopi tu mihi ſis Deus,
Vatisq́ haud atheas Pieridas tui
Quæſo munifica fautor alas manu,
Collataq́ iuues ope.
Mens humana ferè magnificos amat,
Præſtantesq́ tuis turgida reſpicit
Donis: aſt humiles, in quibus haud foris
Lucet gloria, deſpicit.
Olim gratus erat perditus Abſolom
Cunctis, & placuit patre magis pio,
Lingua quandoquidem ſuauiloqua ualet,
Formaq́ egregia nitet:

Aſt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Aſt in ueſtibulo diuitis aureo
Neglectus iacuit Lazarus omnibus,
Exceptis canibus, dum niſi putida
Oſtentat nihil hulcera.
Me donis etiam conditor optime
Veſtis exiguis, nec tumido facis
Acceptum generi, ſed tamen haud ſine
Iuſſu quæro modos tuo.
Porrò haud imperium gnauiter exequi
Preſſus pauperie quibo tuum graui:
Ac ni uictus adeſt ſufficiens tuo
Vati, laus tibi ſit breuis.
Terræ ſæpe datum nobile diſperit
Semen, nec ſuperans demetitur ſeges,
Quando non pluuiæ deſuper irrigant,
Non fimo agricolæ fouent.
Tu ſubmotum hominum cordibus excipe
Clemens, & mihi, quo pſallere te queam,
Res geſtasq́ue tuas pectore libero,
Largè funde tuas opes.

ODE XXVI.

Ad Chriſtum precatio.

CHriſte quum, noſtri caro factus ergò,
Membra geſtabas moritura noſtra,
Inq́ue ſacrata regione preſſis
Obuius ibas:

Ecce

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Ecce turmatim uarijs onuſti
Cladibus, cæciq́, lepraq́ tacti
Lurida, poſt te ſuam egente uocem
Corde leuabant:

Gnate Dauidis miſerere noſtri,
Solueq́ ærumna miſeros, ab alto
Qui tui mira pietate patris
Miſſus es axe.

Tu ſtatim uotum facilis precantum
Rector implebas, placidaq́ uoce
A malis cunctis inopes clientes
Eripiebas.

Quotquot orabant, ſuaq́ explicabant
Corda clamando tibi, ſunt refecti,
Ac tuam paßim cecinere grato
Pectore laudem.

Nullus è tanto numero receßit
Spe ſua fruſtratus. eo 'ne ſolo
hare ſeruator pius adiuuabas
Tempore preßos?

Immò in afflictos tibi ſemper idem
Perſtat affectus, pietateq́ iſta
Iugiter ſpectas, tibi quotquot aſtant
Supplice mente.

Ergo nunc ad te quoq́ clamo mœſtus:
Gnate Dauidis, miſerere egentis,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Et iuua preſſum cruce, meq́ tandem
Reffice mitis.
Nunc quoq; indutus mea membra, morte
Non tamen rurſus laceranda, patris
Occupas dextram, mihiq́ es benignus
Chriſte patronus.
Vnde ſum certus, mihi, quicquid obſtat
Corpori, mentiq́, tua fugandum
Dextera, teq́ aßiduo refectus
Carmine pſallam.

ODE XXVII.

Timentibus Deum, ad fidem patêre acceſſum.

SI quis ueretur numen excelſißimum,
Eiusq́ ceßat lubrica
Præuaricari mente legem, at cœlica
Mandata quærit exequi,
Nec uictus hæret carnis improbo iugo,
Nec impediri ſe ſinit
Mundi ruentis impetu, nec ſubdolis
Diri Satanæ retibus:
Mentem nouabit eius arcana fide,
Et recreabit deſuper
Flatu creator, & redemptor uiuido,
Gratumq́ producet patri.
Hinc ſæpe quanquam preſſus atris anxia

Curis gemebit pectora,
Cladesq́ tactus perferet grauiſſimas
Dei potente brachio:
Non in fideles ipſius tamen fauor
Immenſus, illum negliget,
Curisq́ durus tabefactum triſtibus
Permittet unquam confici.
Sed tandem ad illum, quum frequente lachrymæ
Purgarit illius pedes,
Diuq́ ſupplex nomen inuocauerit,
Grato redibit lumine,
Soluetq́ mœſtis fidus ærumnis eum,
Et ceu corona lucida
Cinget uiciſſim gaudio, tetra uelut
Pro morte uitam conferens.
Præſente quod ſi denegatur ſeculo
Planè beatus conſequi,
Certè futurum quum reuertetur pijs,
Quouis abundabit bono.
Tunc uniuerſis mitis illorum pater
Siccabit ora lachrymis,
Tunc uultu amico fundet oſtenſo ſuo
Perenne lætis gaudium.
Ne ſperet eadem, quiſquis haud timet Deum,
Sed pergit anguis perfidis
Obtemperare ſibilationibus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Deiq; iuſsis contumax
Almi reſiſtit: inſtruat ſeſe licet
Magna ſcientia tui
Rex Chriſte uerbi, & in cerebro frigido
Pingat uoluntatem tuam.
Nam nulla reſtat ad beatitudinem
Hanc obtinendam ſemita,
Pronum fauorem patris, & ſequentia
Præſentis æui commoda,
Et uera ſaltem, & abſoluta gaudia
Vitæ futuræ, fortibus
Magni patroni parta Chriſti prælijs,
Extra timorem numinis.

ODE XXVIII.

Gratiarumactio pro fidei luce.

TE dilecte flagro Deus,
Amplectorq; lubens auxilium tuum,
Quo lugubribus obruta
Demis noſtra pius corda pauoribus:
Patronoq; fidelium,
Qui, quò morte forem liber, eam tulit,
Me placabilis applicas,
Et flatu recreas uiuifico tuo.
Ergo conſpicio nigris
Miſceri Zephyris aera, carcerem
Ceu linquentibus horridum,

Inſe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Infeſtam patriam flatibus Aeoli:
Et poſt ſæua tonitrua
Torqueri rigido flammea brachio
Iuſti uindicis, in mare,
Vnà cum tereti, fulmina grandine.
Hinc undæ tumidi furent
Ponti, cumq́; graui cominus impetu
Frangent arida littora,
Nec tranquillo etiam gurgite tranſuehi
Permittent fragiles rates:
Sed præſens ſubitò, terribili modo,
Vectorum trepido gregi
Iunctis exitium uiribus adferent.
Tum ſuſpiria triſtia
Turbato attoniti pectore protinus
Edent, & gemitus graueis,
Planctumq́; horribilem. uerùm ea, proh dolor,
Nequicquam pereuntibus
Fient omnia, nec turbinis impetum
Euitare poteſt grauem
Eius, cui ſoboles haud tua cognita eſt.
Sed nauis mea, te duce,
Tunc ibit tumidis fluctibus altior:
Eluctansq́; periculis
Optata inueniet trans mare littora.
Hinc te perpetuò canam,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Et grates memori pectore debitas
Reddam ſumme tibi Deus,
Nec cedent animo dona tua è meo.

ODE XXIX.

Veracia eſſe Chriſti promiſſa.

CLarè canebas adfore perpetim
Te Chriſte nobis, quum tua ſidera
De morte ſcandebas triumphans,
Et Stygio domito tyranno.
Nunc ueritatem conſpicimus tuam,
Dum non relinquis paſtor ouilia
Suſcepta iuſtorum: ſed illos
Diligis, & moderare præſens.
Quare parentum tempore, quum tua
Trux Antichriſtus polluerat ſacra,
Sermoneq́ arcens à paterno,
Lege ſua miſeros prophana
Ludebat urgens, haud bonitas tua
Tam grande uidit paſſa diutius
In gente dilecta piaclum,
Totq́ inopum gemitus tuorum:
Sed en miniſtros deligis utiles,
Tibiq́ promptos morigerarier,
Puramq́ poſt brumæ tenebras
Surgis ijs aperire lucem.
Hinc reſtituta eſt uera pio choro

Doctrina

Doctrina de te, deq́ tui patris
Te propter effuſo fauore
Inpauidos ſimul, & fideles.
Hinc te mouemur denuò pſallere,
Doctaq́ læti fauce tuum decus
In plebe decantare ſacra,
Inq́ rudi tua iuſſa turba.
Et ſic fideli linquere poſteris
Pro gente curæ noticiam tuæ:
Sed perge curam, & fiditatem
Quæſo tuam reſerare ſemper.
Defende doctrinam exhibitam, tuoq́
Inſcribe noſtris pneumate ſenſibus,
Et corde paßim da renato
Proni opera patris exprimamus.

ODE XXX.

Exhortatio ad laudandum Deum.

Q Votquot ſectum habitabitis
Orbem, terribilis reis
Dum cernetur in aere
Chriſtus, tollite laudibus
Fidum illius amorem
Ac tu mens mea maximè
Patronum canito tuum,
Erectoq́ libens precor
Dignas pectore iugiter

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Illi ſoluito grates.
Nec te conficiat dolor
Curis tabificis, neq;
Deſperatio deſtruat,
Deſperata licet ferè
Clades noſtra putetur.
Quin confide Deo tuo,
Collatæ memor illius
In te munificentiæ:
Illiq; anxia ſupplica,
Dum fortuna repugnat.
Ipſe eſt, aurea qui quoq;
Flectit ſidera: qui regit,
Vertens, omnia, quò lubet:
Nec præuiſa ſuis bona
Qui largitur amicis.
Nullum, qui ſua ſuſtulit
Illi pectora, deſpuit
Vnquam: nullus eum timens,
Vnquam decidit à ſua
Spe fruſtratus inani.
Sic etſi uagus Abraham
In terra fuit extera,
Citra ſemen, & indigæ
Vitæ commoda, quæ ſibi
Promiſſa omnia norat:

Tan-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Tandem, quum tamen in ſuo
Certam ponere ſpem Deo
Nunquam deſijt, illius
Cladeis exhibitas manu
Mente haud paſſus iniqua,
Miro ſenſit opem modo,
Optata quaſi cœlitùs
Auctus prole, nec horridas
Aerumnas tulit à Deo
Vita ſpretus in omni.
Gaude, quòd Deus hic tuus,
Certo gutture qui canit,
Haud ſe uelle relinquere
Dura ſub cruce, commodè
Quam perferre nequimus.
Nam patronus adeſt patri
Pro te, cunctaq; ſemouet
A' te nigra piacula:
Et iam non reus amplius,
Es chariſsimus illi.
Cunctis cladibus altior
Illo mens mea nititur,
Is me perpetuò malis
Conſeruabit in omnibus:
Eſt laudandus in æuum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODE XXXI.

Concluſio.

Portum iam placitum parua ſubi ratis,
Per uaſtos fragili corpore gurgites
Suſtentante pij uecta manu Dei,
Atq; arcente tibi monſtra natantia.
Quanquam rima tibi plurima uiribus
Ponti inflicta feri cernitur, & ſalis
Vndam quaſſa bibis: tuta Dei tamen
Cœleſti auxilio fluctibus horridis
Eluctaberis, & littus in aridum
Vectorem eijcies incolumis tuum:
Vno armata Deo robur habes, trucis
Contra terribiles Oceani minas.
Ergo perpetuum uoce canes eum
Conſecrata mea, moxq; loco ſacro
Pendebis, referens illius indigo
Cuiuis expoſitam munificentiam:
Inuitansq; homines, ut timeant eum,
Eiusq; æthereo colla iugo ſua
Submittant, Domino morigeri ſuo,
Et nomen celebrent eius amabile.
Ipſius pneuma ſuum deſuper impluat
Tantum pectoribus quæſo, ſuamq; opem
Per te det placito concilio ſuo,
Vtaturq; habili te pius organo.

Libri noni & ultimi Finis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

CARMEN SECVLARE,
Pro Eccleſia.

O Pater uaſti moderator axis,
Qui reo natum generi placentem,
Quò nece indigna ſcelus expiaret
Omne, dediſti.

Iamq́ deleto nitidos reatu
Diligis nos propter eum, iubesq́
Læſi ut aduerſis tibi ſuplicemus
Pectora rebus.

Immò promittis quoq́, te daturum
Quicquid in Chriſti (modò profuturum)
Poſcimus tanto merito fideles,
Nec dubitantes.

Quæſo dilectæ tibi nationi
Tu gubernator uenias benignus,
Et geras curam populi fidelis,
Teq́ precantis.

Lucida in primis tua uerba nobis,
Et uoluntatem ſtabilem reueles,
Ne'ue nos doctrina tuo ſacrata
Fugerit ore.

Quin eam firmo teneamus uſq́
Corde, nec prauas animo bibamus
Hæreſes, quas rex barathri ueneno
Miſcuit atro.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Noſtra lætari nouitate corda,
Pronaq́ errori Deus eſſe cernis,
Prona, quod multos placuit per annos,
Ducere parui.
Sed tuo firma populum fidelem
Spiritu, nec cede tuam relinquat
Vt uoluntatem, patefactaq́ abs te
Dogmata pura.
Nauſeam nobis moueat, quòd abs te
Non reuelatum nitet: at placeto
Quod tuo, quanquam uideatur horrens,
Ore profectum eſt.
Nec tamen tantum tua uerba nobis
Nota ſint: uerùm ſimul impleamus.
Idq́ quò fiat, tua nos regignat
Ignea uirtus.
Haud enim prodeſt tua iuſſa ſcire,
Corde ni uero ſimul exprimamus:
Iamq́ calcato, famuli uelimus
Eſſe, Satana.
Cum grauis iudex uenies prophanis,
Plurimi dicent tibi, ſe profeſſos
Dogma ſincerum: tamen in tenebras
Exteriores
A` tuo cogentur abire uultu
Fœtidi: nunc ergo ueni, & tuorum

Cæca

Cæca ſeruorum tacito guberna
Pectora flatu.
Corda ſint regnum tibi noſtra, ſintq́
Mirum ubi tractes opus officina,
Sanctus & ſancto tuus heic labori
Spiritus inſtet.
Tu Deus rectos homines creaſti,
Et citra labem: uafer anguis autem
Nos opus gratum tibi, fraudulento
Contudit ore.
A' tuo ſermone calumniator
Dirus abduxit rea corda noſtra,
Et ſuæ corrupit abominando
Fraudis amore.
Surge, deturba Deus hunc, tuumq́
Vindica regnum tibi, nosq́ uictor
Ad tuam forti penitus refinge
Pneumate mentem.
Sit tuæ celſæ Deus alme legi
Noſtra conformis, mala nunc, uoluntas,
Et nouo deinceps tibi corde ſemper
Morigeremur.
Membra iungamur tibi uiua, ſimus
E' tua nati caro carne, & oſſe
De tuo robuſta geramus oſſa,
Deq́ potente

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Spiritu nobis habilem repone
Spiritum quæſo generoſe culpæ
Victor. in ſumma, tua pulchra rurſum
Simus imago.
Sic & in uita foris exprimentes
Iuſſa præſtemus tua, ſiue læti,
Seu crucem, ſæuam licet, haud iniqua
Mente ferentes.
Ne grauis uictos tua pellat à te
Nos manus, ſed te patiamur atra
Sorte uerſati, neq; mente durum
Te uocitemus.
Quin & attenta ſua quiſq; cura
Cede, quæ nobis, uariante libra,
Cœlitùs rector pie contuliſti
Munera, præſtet.
Inq; ijs charæ tibi ritè plebi
Seruiat, fratrumq; gregi ſuorum
Grata, ceu uiuens, operetur eius
Commoda, membrum.
Simus haud noſtris inhiare tantum
Commodis docti precor, & quod in rem
Corporis totius erit patrare
Vulgus ineptum.
Nemo laudandis poterit decoris
Euehi factis, niſi tu uolucreis

Appli-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Applices alas inopi, & iacentem
Puluere tollas.

Quæſo ſis nobis pius, atq; ab omni
Nos malo ſerues, & ad omne rectum
Promoue, paßim tua ut impleatur
Sancta uoluntas.

Porrò ad hanc uitam quoq; tranſigendam
Commodè, largire parens egeno
Cœtui larga, tua profutura
Munera, dextra.

Ac tyrannorum, populum fidelem,
Brachium durum preme, perſequentum,
Noſq; poſt longos placida quiete
Reffice luctus.

Et tuæ præbe loca tuta plebi,
Sedem ubi feßi ſtabilem locemus,
Nec per externas miſerè uagemur
Iugiter oras.

Vna cum plebs, nos, tua cauſa ſimus,
Cur malæ parcas hominum cateruæ,
Nec uelis uaſti ſimul interire
Corpora mundi.

Vt per infidum mare nauiganti
Fluctuum inſultu lacera carina
Non fugis quondam famulo placenti
Dicere Paulo:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Paule, qui tecum gelidi laborant
Gurgite in uaſto, uitioſa turba,
Morte ſunt digni: neq; ſubuenirem
Lenior illis,
Ni forent naui tibi iuncti eadem. at
In tuam placatus eos tuebor
Gratiam, ne te ſimul atra lædant
Fortè pericla.
Sic manet mundus: quia cernis illos,
Quos amas, nondum penitus remotos
Orbe de toto, ſed adhuc relictos
Eſſe fideles.
Ergo cum uitæ caueas nocere
Stragibus noſtræ Deus impiorum,
Da ſimul uitam, bona quæ petendam,
Extera, reddunt.
Publicè pacem, proceresq; binam
Legis arcanæ tabulam tuentes,
Copiam & frugum facilem, ſalubremq;
Aeris hauſtum.
Cede priuatim quoq; ſanitatem,
Ac graueis arce procul oro morbos:
Da cibum, & potum, decoraq; nobis
Veſtibus artus.
Solueq; aduerſa populum piorum
Sorte, nec cæcum ruat in periclum:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Sed tuis illum gere trans acuta
Saxa lacertis.
Da thoros nobis etiam benignus
Alme fœlices Deus, inq́; ſanctum
Ordinem dele Stygij tyranni
Fortior iram.
Et fac ærumnas precor in ſacratis
Nuptijs dulceis: uelut in lyæum,
Coniugum cauſa, tibi uerſa quondam eſt
Frigida lympha.
Maximè ſis ductor in educandis
Liberis: illi ſine luce ueros
Neſciunt ardere tua, ſequiq́;
Pectore calles.
Immò re fœlix nequit eſſe in ulla
Quiſpiam, ni tu moderator alter
Veneris illi Deus, & gubernes
Illius acta.
Te ſumus freti pater alme ſolo:
Tu tuæ promiſſa fauens phalangi,
Te patrem cunctis fore deſtitutis,
Exhibuiſti.
Lenitas ô rex tua, ueritasq́;,
Summe, iam turbæ niteat fideli:
Nosq́; da flatu precor hanc ſecundo
Degere uitam.

At

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

At ſumus fœdis uitijs onuſti,
Sæpeq; aduerſus tua tam ſeuera
Iuſſa peccamus, reprobisq; legem
Frangimus actis.
Porrò qui peccat, uiolatq; ſanctam
Conſcius legem, ferat is neceſſe eſt
Debitas pœnas patienter, & ſe
Cladibus ultro
Præparet ſæuis: neq; ſperet illa,
Quæ Deus iuſto populo benignus,
Cunctaq; implenti tua uerba ſpondes
Commoda uitæ.
Sed pater quæſo miſerere noſtri
Mitis, & propter ſobolem placentem
A` tuo aſpectu remoue ſeuero
Noſtra piacla:
Filij cauſa placidus clienteis
Huius oblati pauidis patroni
Nos, ut acceptos tibi, de moleſtis
Erue curis.
Ille pro nobis mediator ultro
Siſtitit ſeſe tibi, proq; noſtro
Ferre delicto meritam recepit
Candidus iram.
Ille ſublimi ſimul axe uenit
Artubus noſtris latitans: Adeſte,

Cla-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Clamat, huc omnes, quibus ater urget
Pectora mœror.
Mitigo ſæuos etenim labores
Omnibus preſsis ego, me ſecutis.
Hic mouens urit quoq; te perenni
Charus amore,
Fida pro nobis ubi uota fundit.
Ergo ne noſtras maculas uideto,
Sed tibi prolis nitidam placentis
Inſpice frontem.
Noſq́; ama, peccata licet fatentes:
Nam tuas nos inter oues, gregesq́;
Grande diſcrimen poſitum prophanos
Eſſe uidetur.
Nos enim ualde ſceleris patrati
Pœnitet: uerbumq́; tuum ſequentes,
Anxio rex alme tuum ſitimus
Corde fauorem.
Fidimus Chriſto quoq;, proximumq́;
Nitimur lenes tolerare noſtrum,
Atq; ei præbere manus egenti
Auxiliantes.
Multa quantumuis mala ſæpe duro
Inferant nobis animo, uiciſsim
Haud tamen geſtimus eis nocere
Vindice dextra.

Ergo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Ergo conuerſis, tibi per placentem
Filium, noſtrum bene fac patronum,
Liberaq́; atra populum benignus
Clade fidelem.

Maßa nos ualde fragilis nequimus
Præpotens perferre tuum lacertum:
Quin leui immiſſa citò ſtrage ſimus
Puluis & umbra.

Impares hoſti ſumus & feroci
Noſtro, ut horrendi barathri tyranno
Noxio, & carni propriæ, atq; mundo
Inſidioſo.

Tot niſi, tantosq́; fugabis hoſtes
Tu tuo à cœtu, Deus ô potentum
Omnium princeps generoſe, rexq́;
Maxime regum:

A tua grata citò diuidemur
Luce deuicti miſerè, & tegemur
Nocte: quod nolis, pauidi flagrante
Corde precamur.

Quæſo conatus reprimas feroces
Hoſtium, nec cede gregi piorum
Colchico tinctis iaculis ueneno
Pectora lædant.

Sed, tua cunctos ope liberati
Cœlitùs, dona, ſuperemus illos:

Tela

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Tela frangamus uigili minacis
Corde Satanæ.
Et licet cunctas miſeris nocendi
Cautus obſeruet uehementer anſas,
Attamen fruſtratus eat retrorſum,
Proleq; uictus
A` tua.nec noſtra precor ueneno
Læſa ſerpentis caro fraudulenti
Pectori noſtro ſua miſceat con-
Tagia uictrix.
Neúe mundani caue blandientes
Obſient nobis homines, tuaq;
A` uia abductos adigant inire
Deuia ſecum.
At ſemel uictis tibi ſeruiamus
Hoſtibus cunctis age fide cuſtos
Liberi, tutiq; periculoſo à
Vulnere mentis.
Et malis cunctis animiq;, & ægri
Corporis tandem tibi liberati
Fac Deus gratas hilari canamus
Pectore laudes.
Te precor ſolum Deus alme rerum
Conditor, duroſq; tibi labores,
Quos fero, tetri comites reatus,
Explico ſoli.

Tu potens unus releuare preſſos,
Dentibusq; actos auidis luporum
Cum tuo nato, uigidoq; flatu
Eripuiſſe.

Nil ferox orcus tibi comparatus,
Nil poteſt mortalis homo, tametſi
Aemulus celſa, tuus, arce, ſæua
Fulmina, dextra

Iactet imbelli. Tibi ſumme rerum
Axis, & tellus, liquidusq; Nerei
Subditus tractus famulatur, ac te
Principe gaudet.

Victor es mortis quoq;, uictor eius
Et patris, tetri faciem reatus
Per tuum natum, ſtabiliq; noſtrum
Lege patronum.

Nos malum duplex querula fatemur
Voce: tum crimen graue, tum ſequentem
Criminis pœnam uel in hoc, uel æuo
Poſteriore.

Tu tuis utrunq; potes creator
Demere, & largo merito placentis
Gnati, & internos recreante ſenſus
Pneumate ſancto.

Filius fuſo facilis cruore
Pertulit pœnam, docet id uidere

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Spiritus, cogitáq́ tibi nouata
Pſallere mente.

Ergo cum certe & cupias iuuare
Nos tuos planè miſeros clientes
Propria motus pietate magni
Rector Olympi:

Nec tuis quicquam, quibus id quod optas,
(Hoſtibus forti domitis lacerto)
Victor abſoluas, miſerosq́ ſalues,
Viribus obſit:

Confero abſcedens animum refectum,
Gaudioq́ in te fruor haud caduco,
Et tuam promptus chorus, & patroni
Dicere laudem.

FINIS.

ἡ δόξα τῷ θεῷ.

ODARVM, QVAE HOC LIbro continentur, Catalogus.

LIBRI PRIMI.

Beatus uir, qui non abijt, &c.	Ode 1. Pag. 10
Quare fremuerunt gentes.	2.11
Domine quid multiplicati.	3.12
Cum inuocarem.	4.13
Verba mea.	5.14
Domine ne in furore.	6.16
Domine Deus meus in te ſpero.	7.17
Domine Dominus noſter.	8.19
Confitebor tibi Domine.	9.19
Vt quid receſsiſti longè.	10.21
In Domino confido.	11.23
Saluum fac Domine.	12.24
Quouſq; Domine obliuiſc.	13.25
Dixit inſipiens in corde.	14.26
Domine quis habitabit.	15.27
Conſerua me Domine.	16.27
Exaudi Domine.	17.29
Diligam te Domine.	18.30
Cœli enarrant.	19.34
Exaudiat te Dominus.	20.35
Domine in uirtute tua.	21.36
Deus Deus meus.	22.37
Dominus regit me.	23.39
Domini eſt terra.	24.40
Ad te Domine leuaui animam.	25.41
Iudica me Domine.	26.43
Dominus illuminatio mea.	27.44
Ad te Domine clamabo.	28.46
Afferte Domino.	29.47

Exal-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Exaltabo te Domine. 30.48
In te Domine ſperaui. 31.49
Beatus uir,cui. 32.52
Exultate iuſti in Domino. 33.53
Benedicam Dominum omni tempore. 34.55
Iudica Domine nocentes. 35.57
Dixit iniuſtus,ut delinquat. 36.60
Noli æmulari. 37.61
Domine ne in furore tuo. 38.65
Dixi cuſtodiam uias meas. 39.67
Expectans expectaui Domin. 40.68
Beatus qui intelligit ſuper egenum. 41.70

LIBRI SECVNDI.

Quemadmodum deſiderat. 1.72
Iudica me Deus. 2.74
Deus auribus noſtris. 3.74
Eructauit cor meum. 4.77
Deus nobis refugium. 5.79
Omnes gentes plaudite. 6.80
Magnus Dominus, & laud. 7.81
Audite hæc omnes gentes. 8.83
Deus deorum Dominus. 9.85
Miſerere mei Deus. 10.87
Quid gloriaris in malicia. 11.89
Dixit inſipiens. 12.90
Deus in nomine tuo. 13.91
Exaudi Deus orationem. 14.92
Miſerere mei Deus, quo.&c. 15.94
Miſerere mei Deus,miſerere. 16.95
Num uerè utiq; iuſticiam. 17.96
Eripe me de inimicis. 18.97
Deus repuliſti. 19.98

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODARVM

Exaudi deprecationem. 20.99
Non'ne Deo ſubiecta erit. 21.100
Deus Deus meus. 22.101
Exaudi Deus orationem. 23.102
Te decet hymnus Deus. 24.103
Iubilate Deo terra. 25.105
Deus miſereatur noſtri. 26.106
Exurgat Deus. 27.108
Saluum me fac Deus. 28.111
Deus in adiutorium meum. 29.113
In te Domine ſperaui. 30.114
Deus iudicium tuum regi da. 31.117

LIBRI TERTII.

Quàm bonus Iſrael Deus. 1.119
Vt quid Deus repuliſti. 2.121
Confitebor tibi Deus. 3.123
Notus in Iudæa Deus 4.124
Voce mea ad Dominum clamaui. 5.125
Attende popule. 6.127
Deus uenerunt gentes. 7.133
Qui regis Iſrael. 8.134
Exultate Deo adiutori. 9.136
Deus ſtetit in ſyngoga. 10.138
Deus quis ſimilis. 11.138
Quàm dilecta tabernacula. 12.140
Benedixiſti Domine terram. 13.141
Inclina Domine aurem 14.143
Fundamenta eius in montibus. 15.144
Domine Deus ſalutis meæ 16.145
Miſericordiam Domini. 17.147

LIBRI QVARTI.

Domine refugium factus es. 1.151

Qui

Qui habitat in adiutorio. 2.153
Bonum eſt confiteri Domino. 3.155
Dominus regnabit. 4.156
Deus ultionum Dominus. 5.157
Venite exultemus. 6.159
Cantate Domino canticum. 7.160
Dominus regnauit. 8.161
Cantate Domino canticum nouum. 9.163
Dominus regnauit. 10.164
Iubilate Deo omnis. 11 165
Miſericordiam & iudicium. 12.166
Domine orationem meam. 13.167
Benedic anima mea Domino. 14.169
Benedic anima mea Domino. 15.171
Confitemini Domino. 16.175
Confitemini Domino. 17.179

LIBRI QVINTI.

Confitemini Domino. 1.184
Paratum cor. 2 188
Deus laudis meæ. 3.189
Dixit Dominus Domino meo. 4.191
Confitebor. 5.192
Beatus uir qui timet Dominum. 6.193
Laudate pueri Dominum, 7.194
In exitu Iſrael. 8.195
Non nobis Domine, non nobis. 9.196
Dilexi quoniam. 10.197
Laudate Dominum. 11.199
Confitemini Domino. 12.ead.
Beati immaculati. 13.201
Ad Dominum cum tribularer. 14.210
Leuabo oculos meos. 15.212

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt. 16.213
Ad te leuaui oculos. 17.214
Niſi Deus fuiſſet in nobis. 18.215
Qui confidunt in Domino. 19.217
In conuertendo. 20.218
Niſi Dominus ædificauerit. 21.219
Beati omnesqui timent Dominum. 22.221
Multum tribulauerunt me. 23.223
De profundis clamaui. 24.224
Domine non exaltatum. 25.226
Memento Domine Dauid. 26.227
Ecce quàm bonum. 27.228
Ecce nunc benedicite. 28.229
Laudate nomen. 29.230
Confitemini Domino. 30.231
Super flumina Babylonis. 31.232
Confitebor tibi in toto. 32.233
Domine probaſti me. 33.234
Eripe me Domine. 34.236
Domine clamaui ad te. 35.237
Voce mea ad Dominum. 36.ead.
Domine exaudi orationem meam. 37.238
Benedictus Dominus. 38.239
Exaltabo te Deus. 39.241
Lauda anima mea Dominum. 40.242
Laudate Dominum, quia bonus. 41.243
Laudate Dominum de cœlis. 42.245
Cantando Dominum. 43.246
Laudate Dominum in ſanctis. 44.247

LIBRI SEXTI.

Cantemus Domino. carmen Iſraelitarum. 1.248
Audite cœli quæ loquar. Canticũ Moyſis. 2.250

Qui ſponte obtuliſtis. Canticum Deboræ & Barac. 3.254
Exultauit cor meum. Canticum Hannæ. 4.257
Quæſo Domine Deus cœli. Canticum Nehemiæ. 5.259
Iuſtus es Domine. Canticum Tobiæ. 6.260
Benedictum eſt nomen tuum. Canticum Saræ. 7.ead.
Magnus es Domine in æternũ. Canticũ Tobiæ. 8.261
Incipite Domino in tympanis. 9.263
Cantabo nunc dilecto. 10.265
Confitebor tibi. 11.266
Vrbs fortitudinis. 12.267
Ego dixi in Domino. Cant. Ezechiæ. 13.269
Miſerationum Domini 14.271
Recordare Domine. 15.274
Obſecro Domine Deus magne. 16.276
Clamaui de tribulatione. 17.277
Domine audiui auditum tuum. 18.278
Magnificat, &c. Canticum Mariæ. 19.280
Benedictus Dominus Deus. Canticũ Zachariæ. 20.281
Nunc dimittis. Canticum Simeonis. 21.282
Pater noſter. Oratio Dominica. 22.283
Gratias ago tibi pater. 23.284
Pater uenit hora. 24.285
Domine tu es Deus. Cant. Apoſtolorũ. 25.289
Canticum Pauli. 26.290
Canticum uictorum beſtiæ. 27.291

LIBRI SEPTIMI.

Deum Chriſtianis eſſe laudandum. 1.292

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Inuocatio Chriſti pro ſucceſſu. 2.294
De miſeria humana, querela. 3.296
Ad Deum, pro auxilio in uocatione. 4.298
Deprecatio libidinum. 5.299
Gratiarum actio uiſo Dei auxilio. 6.301
Concio Chriſti, ex cap. 7. Matth. 7.303
Precatio in anxietate uaria. 8.306
Precatio Chriſtianè amantis. 9.308
Contra inuocationem creaturarum. 10.310
Cur Chriſtiani iam comburantur. 11.312
Canticum Noæ cum ſuis in arca. 12.314
Quis ſit pius. 13.316
Querela Lothi. 14.318
Quis ſit hypocrita. 15.319
Confeſsio ueræ fidei. 16.321
Contra legem cœlibatus. 17.324
Precatio in metu perſecutionis. 18.326
Contra tranſſubſtantiationē panis in cœna Dominica. 19.327
Querela profugi propter Euangelium. 20.329
Luminũ aliquot Eccleſiæ commemoratio. 21.331
Gratiarum actio pro reualeſcente ſorore. 22.337
Ad amicum defunctum. 23.339
Laus Vitenbergæ. 24.341
Precatio pro uero cultu in Belgica erigendo. 25.343
Laus Ebraicæ linguæ. 26.345
De abominatione Papiſtica. 27.347
Gratiarum actio pro liberatione ab impio cultu. 28.350
Cur iam non opus uideatur exactiore lima. 29.352

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

LIBRI OCTAVI.

Exhortatio ad timorem Domini. 1.354
Precatio pro regeneratione. 2.358
Nulli impio de Chriſto gloriandum. 3.360
Non titulo Chriſtiani fidendum. 4.362
Contra ſecuros. 5.365
Non de Chriſto, ſed nobis ipſis dolendum. 6.368
Exultatio fidelis animi. 7.370
De dignitate miniſtrorum uerbi. 8.372
Ad quos pertineat Euangelium. 9.374
Querela de raritate Chriſtianorum. 10.377
De beneficio Chriſti. 11.381
Ad Polymniam, de acendendo præceptori Philippo Mel. eiq; gratulando reditum. 12.385
De piorum ærumnis, & mundi impunitate. 13. 387
Cur Chriſtus dicat, fidem fore poſtremo tempore raram. 14.389
Eccleſia eſt exemplum Lazari mendici. 15.391
Chriſtianos alijs uita prælucere debere. 16.393
De ſacroſancta Trinitate. 17.394
De Abele protomartyre. 18.396
De Nehemia. 19.398
Querela, de deplorata mundi conditione. 20. 20.400
Querela Eccleſiæ, de liberorũ coruptela. 21.402
Chriſtianos, licet nondum perfectos, tamen innouatos eſſe. 22.404
Puerorum in foro ſedentium, Nomi & Euangeli querela. 23.406
Hominũ cuiq; ſuũ proprium eſſe donũ. 24.408

LIBRI

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

ODARVM
LIBRI NONI.

Ad Dei magis quàm ad hominum fauorem reſpiciendum. 1.410
Neminem non renatum Deo placere. 2.413
Deum ſo!um eſſe ſummum bonum. 3.415
De concione Noæ. 4.418
Precatio Eccleſiæ, exemplo latronis in cruce. 5.420
Precatio pro Philippo præceptore noſtro, iter ingrediente. 6.422
Ad legem exhortatio. 7.424
Conſolatio Chriſti ad pauidos. 8.427
Cur iam ſolito magis peccato ſit reſiſtendum. 9.429
Querimonia pietatis deſolatæ. 10.430
Exhortatio Chriſti ad pœnitentiam. 11.432
De mortificanda carne. 12.434
Dehortatio à ſecuritate. 13.437
Picturæ Eccleſiæ. 14.439
Concio Henochi de futuro iudicio. 15.441
Laus pij coniugij. 16.443
Comparatio materialis & myſtici fulminis. 17.445
Non eſſe in altum enitendum. 18.447
Chriſtiano non eſſe mortem terribilem. 19.449
Verbum Dei ſolam eſſe lucem. 20.450
Contritionem eſſe neceſſariam ſaluando. 21.452
Adæ lapſi precatio. 22.454
Omnibus opus eſſe conuerſione. 23.456
De cruce. 24.458
Ad Deum, pro ſuſtentatione uitæ. 25.459
Ad Chriſtum precatio. 26.460

Timenti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

CATALOGVS.

Timentibus Deum, ad fidem patêre acceſſum. 27.462
Gratiarumactio pro fidei luce. 28.464
Veracia eſſe Chriſti promiſſa. 20.466
Exhortatio ad laudandum Deum. 39.467
Concluſio. 31.470
CARMEN Seculare, pro Eccleſia. 471

FINIS.

110

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

BASILEAE, EX OFFICI-
na Ioannis Oporini, Anno Salutis hu-
manæ M.D.LVII. Men-
ſe Ianuario.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 134 [53,-64 8°]